



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

**NUCLEUS  
JURIS NATURÆ,**

IN QUO

**HUJUS JURIS  
PRÆCIPUA**

EX

**DIGNITATE HOMINIS  
NATURALI,**

**NOVA ET HACTENUS  
NUNQUAM VISA  
HYPOTHESI,**

**PER NEXUM DEMONSTRATIVUM  
DEDUCUNTUR ET EXPLICANTUR,**

**OPERA ET STUDIO**

**GEORGII ANDREÆ VINHOLDI.**

---

**L I P S I Æ,**

Sumptibus Hæredum FRIDERIC, LANCKISII.

**M. DC. XXV.**

PER-ILLUSTRI *atque* EXCELLEN-  
TISSIMO DOMINO,

DOMINO

JOHANNIGEORGIO

DE ZEHMEN,

DYNASTÆ IN LAUTERBACH,

SILBITZ ET WELWITZ &c.

SER. AC POT. REGI POLON. ET

ELECTORI SAX.

²

Consiliis Sanctioribus,

Camerae Electoralis Præsidi,

&

Domino Splendidissimo,

nec non

²

Consiliis Metallicis,

MOECENATI ac DOMINO

SUO GRATIOSO,

*ILLUSTRI ET GENEROSISSIMO DOMINO,*

*DOMINO*

*JOH. SEBASTIANO*

*DE ZEHMEN,*

*DYNASTÆ IN WEISSEN-*

*DORF, PILLAU ET WEISSIG &c.*

*SER. ET POT. REGI POLON. ET*

*ELECTORI SAX.*

*Confiliis Aulæ & Justitiæ,*

*DOMINO SUO GRATIOSO.*

PER-ILLUSTRI *atque* EXCELLEN-  
TISSIMO DOMINO,

DOMINO

JOHANNIGEORGIO

DE ZEHMEN,

DYNASTÆ IN LAUTERBACH,

SILBITZ ET WELWITZ &c.

SER. AC POT. REGI POLON. ET

ELECTORI SAX.

a

Confiliis Sanctioribus,

Camerae Electoralis Præsidi,

&

Domino Splendidissimo,

nec non

a

Confiliis Metallicis,

MOECENATI ac DOMINO

SUO GRATIOSO,

**ILLUSTRI ET GENEROSISSIMO DOMINO,**  
**DOMINO**  
**JOH. SEBASTIANO**  
**DE ZEHMEN,**  
**DYNASTÆ IN WEISSEN-**  
**DORF, PILLAW ET WEISSIG &c.**  
**SER. ET POT. REGI POLON. ET**  
**ELECTORI SAX.**

**Confiliis Aulæ & Justitiæ,**  
**DOMINO SUO GRATIOSO.**

**ILLUSTRI ET GENEROSISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
MAVR. CHRISTOPH.  
DE ZEHMEN,  
DYNASTAE IN MARCKERS-  
DORF, CLODRA ET NEUMÜHLE &c.  
SER. ET POT. REGI POLON. ET  
ELECTORI SAX.**


**Cubiculis,  
DOMINO SUO GRATIOSO,**

**NUCLEUM HUNC  
JURIS NAT.**

**Qua decet submissione,**

*Dedicat*

**GEORGIUS ANDREAS VINHOLD. R.**



**T**otam justitiam,  
 quam olim, jubente populo, Decemviri  
 Romani ex Græcia Romanam reportarunt, in  
 duodecim tabulis ordinatam fuisse, Florus rei  
 Romanæ conditor, memoriae prodidit. Parvus  
 iste liber, quem oculis Vestris, Mœcena-  
 tes suspiciendi, nunc



subjicere audeo, non  
secus totius justitiæ  
compendium quod-  
dam, nisi fallor, optimo  
jure dici poterit. Quic-  
quid enim juris divini  
humanique habetur in  
vita publica & privata,  
atque inter gentes per  
orbem terrarum spar-  
sas, id omne fedem su-  
am in jure naturali fixit,  
& tanquam scaturigo  
ex istis fontibus proma-  
nat. Hoc voluit ipse sa-  
pien-

pietissimus rerum omnium moderator Deus, altius hominum peccatoribus imprimens legem, nulla humana ope vel consilio expungendam. Hoc sacrum naturæ insignitum etiam ipsemet in ordinanda republica sacrisque ritibus Judæorum constituendis tenuit, nec ab eodem recedere in factionibus suis decrevit. Hac eadem via nisi in-

cedant legum latores;  
quicquid juri naturali  
repugnans promulga-  
tur, justitiam violasse, &  
in sacrosanctum Nu-  
minis imperium ac vo-  
luntatem involasse cen-  
seri debent. Quocirca  
qui jus naturæ aut com-  
pendio, aut ubertim de-  
scribit, sementem quan-  
dam variorum inde  
provenientium jurium  
simul jecisse videatur.  
Jam Nuclei præsentis  
uber-

libertas in tenui corpore  
sculo, largitas in inopia,  
rerum pulchritudo in  
forma minus spectabili  
inesse intelligitur. Quo  
majori cum fiducia Vo-  
bis, Mœcenates, Viris  
ad Aulam natis, atque  
in Aulis Magni Regis, ac  
Magnæ Reginae Mini-  
stris enitentibus, quos  
partim institutio matu-  
ra, partim diuturnus re-  
rum usus, & usuræ pu-  
blicis vestigiis impressæ

celebrant, tenuitatem  
hanc meam consecra-  
tam volui. In pelle dra-  
conis totum Home-  
rum aureis literis depi-  
ctum, Bibliotheca Ale-  
xandrinorum celebra-  
tissima quondam ferva-  
vit, postea flammis cum  
incredibili librorum co-  
pia combustum. Si pe-  
nes me esset, malletm i-  
stud, quicquid est, quod  
offerro, quod sentio,  
quam sit exiguum, per-  
æque

æque literis aureis exhiberi; non propter styli elegantiam, quæ heic non cernitur; neque propter rerum ordinem, in quo equidem pro imbecillitate mea elaboravi; neque ob novam fundamenti inventionem, de qua quid judicandum sit, sagacibus rerum æstimatoribus expendendum relinquo; sed propter ipsam sapientiam, quam

bre-

breviter constringere;  
& nexu ex se mutuo in-  
sequente demonstrare  
aggressus sum. Ac licet  
marmoreum fecerit li-  
bellum infirmitas mea;  
attamen profecto au-  
reus erit Zehmiis, He-  
roibus in toga inclytis,  
dedicatus. Horum lux  
men illius umbras at-  
que nebulas dispellet;  
horum patrocinio mu-  
nita navis sine naufra-  
gio per medios fluctus  
ibit


ibit incolumis. Hisce  
Gratiis Saxonicae Aulae  
eodem sanguine gene-  
rosissimo prognatis, ve-  
lut terno fidere, cursus  
maritimi tranquillita-  
tem denunciantibus,  
quod lucidi fratres He-  
lenae Castor & Pollux,  
admirentur, illa om-  
nem tempestatem ri-  
su excipiens, semper in  
portu navigabit. Susci-  
pe igitur, Per-Illustris  
Moecenas, qui in San-  
ctio.



Etioſe Senatu Saxoniae  
noſtrae confilia cum a-  
liis confocias, atque  
ſuppeditas in ſalutem  
communis patriae, ne-  
que minus rationes Ca-  
merales ad lancem juſti-  
tiae admetiris; quo Tuis  
auſpiciis juſtitia utilita-  
tis publicae mater fit,  
ſuſcipe, inquam, auda-  
cem inſcriptionem no-  
mini Tuo praefulgenti  
factam, & vultu perbe-  
nigno meque libellum-  
que

que meum dignare, Tuo-  
que magno favore, gratia,  
tutela dignum existima. Et  
Vos, cœteri Mœcenates,  
qui partim justitiæ Aulicæ,  
partim officiis Cubiculariis  
Aulæ magna cum laude in-  
servitis, recipite, quæso, fa-  
ventibus ac gratiosis mani-  
bus labores istos meos, can-  
dido Vobisque sigillatim  
dedito ab animo profectos.  
Et mihi gratiæ Vestræ fa-  
vorem, quem per tot annos  
sum expertus, ne ullo tem-  
porum lapsu elabi, aut desi-  
nere patimini. Deus, Pa-  
troni maximi, fortunarum  
Vestrarum Itator Clemen-  
tissi-

tissimus, sic fortunet consilia, curas, vigiliis & cogitationes pro salute publica susceptas, sic fortunatas velit esse Familias Vestras Generosissimas, ut stemma antiquissimum Dominorum de Zehmen, decusque à Majoribus, per tot seculorum spacia delatum in Vos tanquam rarum ternarium nostri ævi, grandescat magis, ut eventus hæctenus docuit, quodque lætabunda Domina Mater, illustris exempli Fœmina, adspiciat, vel quotidie lætiora incrementa capiat! Scriptum Cygneæ, d. 27. Sept. A. O. R. 1724.



PROLEGOMENA  
In  
JUS NATURÆ

§. 1.

**J**uris vocabulum laxo significato acceptum, id quod religiosum, justum, honestum, æquum, decorum est, adeoque obligationem tam perfectam, quam imperfectam, libertatem item naturalem, seu id, quod natura licet, complectitur.

§. 2. Religiosum respicit cultum hominis in Deum, quatenus hic natura innotescit homini, ad quem (cultum) omnis homo perfecte obligatur.

§. 3. Justum sapit jus, quod est aliud ex necessitate, videlicet mandantis vel prohibentis; aliud ex libertate, nempe permittentis vel concedentis.

§. 4. Hinc

A

§ 4. Hinc jus praeceptivum & permis-  
sivum seu concessivum.

§ 5. Illud (praeceptivum) cum lege conde-  
nit, imponitque agendi vel omittendi neces-  
sitate, quia est norma a superiore praescri-  
pta, inferiores obligans ad obsequium seu  
est voluntas superioris, obligans inferiores  
ad obsequium, postquam innotuit. Nam  
justum in sensu affirmante continet illud,  
quod nat. legibus, adeoque a superiore, tan-  
quam natura autore, praecipitur, sive agen-  
dum, sive omittendum.

§ 6. Hoc (jus concessivum) est attribu-  
tum personae, & agendi vel non agendi dat  
facultatem; estque qualitas moralis activa,  
ex concessione superioris, competens personae,  
ad aliquid ab altero juste habendum vel  
agendum. Quippe justum in sensu negan-  
te, comprehendit omne quod jure nat. non  
est prohibitum, & ita moralem agendi fa-  
cultatem designat.

§ 7. Justum igitur in sensu priori, est,  
quod perfectam involvit obligationem, tan-  
quam vinculum morale ex jure resultans  
omnes

omnes homines obligante ad id, quod re-  
 ctum est, quodque (in statu civili) intentata  
 in foro civili actione potest exigi. Est enim  
 jus hoc animis humanis impressum ideo, ut  
 omnes hominum actiones ad voluntatem

Dei ex eodem dirigantur.

§. 8. *Justum, in sensu posteriore, infert  
 libertatem agendi vel non agendi.*

§. 9. *Cum justum actioni tribuitur, op-  
 ponitur injuria, justa actio injuste; quan-  
 quam injusta actio magis respiciat legisla-  
 torem, injuria lesum hominem; ut adeo il-  
 la sine hac concipi possit. Sic injuria latius  
 notat id, quod nullo jure fit etiam ab illis,  
 qui ledendi animo carent, late denegatio-  
 nem juris perfecti & imperfecti; stricte,  
 denegationem juris perfecti tantum.*

§. 10. *Honestum respicit virtutem & id,  
 quod virtutis est, ad quam pro virili pra-  
 standam homines nascuntur. Sed ejus pra-  
 statio non ita rigide postulari potest, ut illo-  
 rum, quae exiure alteri debentur. Nam, vir-*

tutem prestando homines, quod suum est, perficiunt, vel in alterum conferunt; jure autem alteri, id quod istius est, tribuunt. Ex virtutis neglectu nemo deferrari potest ad judicem, ut laeso satisfiat; bene tamen ex juris violatone.

§. 11. *Æquum id, quod honestum est, alteri accommodat, interpretando legem ea moderatione, ut legis vim in occurrentibus casibus vel extendat vel restringat.*

§. 12. *Decorum id, quod honestum est coram aliis exerit; sique naturale sit, cum natura ipsa ad decus creata congruit; si politicum, in societate civili viventium moribus.*

§. 13. *Natura hic non ut universa, neque pro facultate physica accipitur, sed pro natura hominis, & quidem in genere morum considerati, qua substat juribus & actionibus moralibus, imo istorum mater existit.*

§. 14. *Attamen ex Physiologia mutuo quasi hic nonnulla traducuntur, ut actio-*  
num

*num moralium fontes evidentius & planius ostendantur, cum divina autoritate, inter moralia & naturalia hominis quadam cognatio intercedat.*

*§. 15. De jure hoc naturali in presenti libro acturus, exequar primum principia ejus; deinde ad ea, quae ex iis deducuntur, b. e. ad officia veniam ea maxime, quae juris stricti dicuntur; subtexturus postremo, coronidis instar, brevem appendicem. Nimirum.*

*I. Principia, quorum c. 1. de dignitate hominis naturali c. 2. de indole actionum moralium c. 3. de principio juris nat. c. 4. de statu hominis moraliter considerati.*

*II. Tractatio, cujus.*

*Sectio I. de religione naturali, hujusque c. 1. de existentia Dei. c. 2. de notitia Dei naturali. c. 3. de cultu Dei naturali.*

*Sect. II. de officiis absolutis. c. 1. de statu hominis solitario. c. 2. de aequalitate hominum naturali. c. 3. de libertate hominis naturali. c. 4. de existimatione hominis naturali. c. 5. de conservatione sui. c. 6. de defensione sui. c. 7. de cultura sui. c. 8. de rerum domi-*



dominio. c. 9. de benevolentia hominis naturali. c. 10. de restitutione alieni. c. 11. de reparatione damni dati.

Sect. III. de officiis hypotheticis tam extra, quam intra civitatem. c. 1. de jure & virtute sermonis. c. 2. de iurejurando. c. 3. de interpretatione juris. c. 4. de promissis. c. 5. de pactis. c. 6. de pretio rerum. c. 7. de contractibus. c. 8. de societate conjugali. c. 9. de societate paterna. c. 10. de societate herili. c. 11. de ~~familia~~

Sect. IV. de officiis hypotheticis in civitate c. 1. de origine & acquisitione imperii. c. 2. de potestate imperii. c. 3. de officio imperantium. c. 4. de subiectione & officio civium. c. 5. de renascente civium libertate. c. 6. de collegiis.

Sect. V. de jure gentium. c. 1. de officiis gentium absolutis. c. 2. de officiis gentium relativis. c. 3. de legatis. c. 4. de foederibus. c. 5. de jure belli. c. 6. de jure victoria. c. 7. de jure pacis. c. 8. de jure sepultura.

III. Appedix de iuris nat. cognatis c. 1. de licito. c. 2. de equo. c. 3. de honesto. c. 4. de decoro.

CAPUT

CAPUT I.  
DE  
DIGNITATE HOMINIS  
NATURALI.

**H**ominem si inspicimus: statim ejus corpus nostris incurrit in oculos.

§. 2

Simulque in eo comparent.

1. Erecta statura, sursum protensa, tanquam ad coeli contemplationem ita facta, Cic. 1. 2. nat. Deor: Providentia naturæ primum homines humo excitatos, celsos & erectos constituit, ut Deorum cognitionem, cœlum intuentes, capere possent. Sunt enim, ut loquitur Janocius, de Dignitate Hom. ex terra homines, non ut incolæ & habitatores, sed quasi spectatores supernarum rerum atque cœlestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet.

2. Vultus, animi imago, & tot diversæ facies singulorum hominum, & oculi, sensuum latentium affectuumque indices, & frons mentis janua.

3. Manus duæ, cum digitis & brachiis dextra & sinistra agiles, expeditæ, celeres & ad perageandum aliquid aptissimæ, quibus & artes & operas homo exerceat, ut sunt pingere, ædificare, arbores serere, agrum colo-

A 4 re,

re, scribere, seque aduersus injurias defendat, & sua tueatur rebusque vitæ necessariis inserviat.

4. Intra corpus ejusmodi gulæ stomachi dispositio deprehenditur, ut illa totius ferme naturæ cibis appetendis; hic concoquendis idoneus sit, ac si naturæ opulentia in unius hominis gratiam (nam brutorum stomachus aliter se habet) tam largiter se effunderet, taciteque ostenderet; solum hominem inter animantia, domini terrestris, ususque naturæ plenioris capacem esse.

5. Corpus ipsum ut animæ domicilium conspicitur; Quippe quæ illud inhabitat & regit, & propterea corporis quoque ministerio utitur. Et etiam corpore & corporeis dotibus belluas antecellit homo, eique vel solius corporis habita ratione, naturalis quoque prærogativa concedi debet.

§. 3.

Si intimius intuemur hominem, & a motibus corporis ad horum motuum causam, h. e. animam modo dictam convertimus mentem; luculentiora dignationis humanæ argumenta cognoscemus. Etenim homo.

1. Res naturales, & quodam modo morales, etiam difficiles, adhibita diligentia, utrunque apprehendit, de iis judicat, antecessiones & consequentia cernit, unum cum al-

tero

tero componit, verum a falso discernit, futura in consiliis capiendis prospicit, certum suis rebus præfigit finem, ad finem necessaria investigat ac disponit, de rerum eventibus quandoque vaticinatur,

E. gaudet mente, cogitationum principio & intelligendi facultate: ut non tantum naturam contemplari, verum & quibus actionibus vita honesta atque tranquilla ei constet, & quomodo qualitercunque in vita prudenter agat, cogitare & nosse valeat.

2. Homo bonum sibi visum expetit, impetratumque amplectitur, malum contra, quod ipsi apparet, odit, & amolitur, res, indifferentes (nulla lege præceptas aut vetitas) suscipit, aut omittit pro lubitu, ita quidem, ut modo aliquid velit, modo idem nolit; modo velit aut nolit hoc, modo aliud.

E. Gaudet voluntate libera, & agit sua sponte & libere. Ex quo & obligationis capax est; quæ capacitas in nullum aliud animal cadit, quam in hominem. Et tanta in hac voluntate deprehenditur vis, ut alteri submissa voluntas perdat arbitrium fiatque juris alieni. Unde remittentibus ad semel abdicata alterius causa, non datur regressus: & quod semel placuit, postea displicere amplius non potest.

3. Homo ex intellectu, posito aliquo alia inde colligit per argumentationes, & numeros,

de quibus dedita opera Logici & Arithmetici, ex voluntate, prælucente intellectu, destinato consilio quædam sibi aliisve proponere agenda, fugienda potest, prout consultum sibi esse duxerit.

E. Gaudet ratione, quæ eum a cæteris animantibus omnibus, quibus profecto nulla inest ratio humana, separat, veluti naturæ integræ residuum: Bucherus d. Regn. Dei per natur. Hom. inquit: aliquam pristini status particulam lumen naturæ rectæ rationis residuum habet, cui quando actiones rationales conformat, semina integræ naturæ sequitur. In homine summa vis animi est, in animo rationis Cic. 5. Fin. Neque usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta remanserint. Nam remanserat utique id, quod animæ hominis nisi rationabilis, esse non potest. August. de Spir. 28.

3. Homo compos sanæ mentis, & in matura ætate constitutus iis pollet viribus & naturæ lumine, ut, si debitam diligentiam attentionemque adhibeat, possit juris nat. regulas cognoscere, & quomodo ad eas suas actiones componat, perspicere. Et ut in epist. Seneca ait: Tunc demum intelliges, quid faciendum tibi, vitandum sit, cum didiceris, quid naturæ tuæ debeas. Hujus facultatis  
Cel.

Cel. Ictus Hertius a mente repetit hominis, quam Deus cum indiderit hominibus ad intelligendam, resque ignotas enotis colligendas, merito illius effectus dici facultatis lumen de lumine.

E. Gaudet rectæ rationis dictamine & jure nat. Solus ipse juris hujus vinculo aptus, solus inter alia animalia obligationis capax.

5. Homo intelligentia sibi ingenerata, non solum notitias universales colligit, sed & de harum usu atque exercitio judicat, fere ut rerum facies cernimus oculis. Quam in rem principia juris, si modo animum recte advertas, evidentiā dixit esse Grotius, ad modum eorum, quæ sensibus externis percipimus.

E, gaudet judicio practico, cujus operes trutinat secundum bonitatem suam, vel quod bonitati contrarium est, æstimat ea, quæ delectent, quæ noceant, præsentia, futura, quæ in utrumvis possunt nocere, aliisque elargienda prudenter dispensat, sapientio-rem minus sapienti, propinquum extraneo, divitem pauperi præferendo; postremo quid, quomodo & quando quidque suscipiendum, quibus subsidiis commode unumquodque obtineatur, secum æstimat ac percenset.

6. Homo, si bene egerit, lætatur serenique est animi; sin male, tristatur interdum, & pa-

pavore & consternatione perterefit. Magna enim vis est conscientiae in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint, & poenam semper ante oculos versaripotent, qui peccarint Cic. p. Mil.

E. Gaudet conscientia factorum & confiliorum suorum, bonorum, malorum teste, & tali quidem teste, qui ab ea avelli non potest Etenim divinum Numen tam alte ideas suas humanis insignivit & insculpsit mentibus, ut nemo inter gentes qualescunque educatus conscientiam, si maxime cupiat, exuere valeat. Braun. Medit. sel.

7. Homo non solum res oblatas, animove comprehensas exhibet ac depromit, sed ex aliis similibus etiam restituit, in mentemque revocat, si forte exciderint, quae vulgo Philosophis reminiscencia audit, in eo secerenda a memoria, quod haec brutis etiam, illa autem hominibus proprie insit celeritate, vigore animi, docilitate prostantibus.

E. Gaudet memoria reflexa, quam eleganter rationis progeniem dixeris.

8. Homo loqui, animique sensa voce articulata, verbis claris, distinctis, evidentibus potest significare. Haec facultas oris admirandum praesentis in eo rationis & intelligentiae testimonium, instrumentum autem societatis humanae luculentissimum subministrat.

E.

E. gaudet loquela.

9. Homo inclinatur ad metum quandam religiosam atque ad religionis curam desideriumque Numinis, hocque fruendo delectatur, & acquiescit; absente eo contra dolorem sentit cum formidine conjunctum. Quam notitiam Dei naturalem, ut habitum, qui certe potentiam propinquam ad actus cognoscendi Deum simul ac rationis lumen se exercere coepit, accipimus.

Præterea nobili cupiditate trahitur rerum pulcherrimarum, quæ in cognitione veri consistit, in qua excellere pulchrum putamus; labi autem, errare, nescire, decipi, & malum, & turpe ducimus. Cic. Off. I.

Porro appetitum societatis ostendit, non qualiscunque, sed tranquillæ (paci enim amans homo existit, etiam dum bellum furit) & pro sui intellectus modo ordinatam cum his, qui sunt sui generis, in domo & vita communi, in familia, civitate, re publica, atque inter gentes, quos stimulos non facile horrent, ut sentit Philosophus, nisi qui aut hominem meliores, aut deteriores esse velint. In quo tamen societas absoluta, a societate civili discerni debet, cum ad hanc præcise hominem omnem natum dicere nolum. Item propensionem quandam ad misericordiam præ se fert homo, quam Grotius in  
 infan-



Infantibus ante omnem disciplinam adven-  
tit, ad benefaciendum aliis.

Insuper amorem sui tenerrimum, in quem  
omnis homo fertur naturaliter, cujus im-  
pulsu unusquisque sibi optat, ut sit, & ut  
sibi bene sit; quod ita insidet animis nostris,  
ut nemo in amorem sui cohortandus videat-  
tur. Quem affectum quilibet, dum nascitur,  
trahit. Sen. 4. d. Benef. 7.

Nec non amorem in alios sui similes, eo-  
dem secum ortos sanguine, communi co-  
gnationis vinculo colligatos, & ad effigiem  
Dei formatos. Inter amoris hujus genera  
ille insignis maxime post eum, qui ad semet-  
ipsum amandum, seque ipsum conservan-  
dum (qui motus in homine cum illo, qui  
similis est in brutis minime, quoad omnia,  
æqualis censeri debet) ducit, qui tendit in  
diversum sexum, in liberos, in parentes, in  
conjugem probum, in patriam, in contu-  
bernales & socios, quibus a pueris assuevi-  
mus. Et quidem amor in liberos naturalis,  
seu philostorgia cum brutorum instinctibus  
ad enutriendos defendendosque foetus suos,  
neutiquam etiam in comparisonem venit  
æqualem: ut experientia cognoscimus pa-  
rentes sæpius tenerrime (qui hoc non fa-  
ciunt, naturam humanam videntur exuisse,  
& infra pecudes se abjecerunt) fovere, di-  
ligere & amplecti sobolem suam, adeo ut  
edu-

educatam, etiam a se remotam, etiam se sustentare jam valentem, per integros vitæ dies desiderant, defunctam quoque fato suspiriis prosequantur & lacrymis, & nec prius ejus memoriam deponant, quam ipsi animam posuerint. Hæc profecto nusquam circa beluarum instinctus ita fieri comperas. Non omittatur hoc loco pudor, virtutis ille color, cujusvis in officiis humanis sæpenumero non parum valet. Est enim omnis honesti consilii parens verecundia, tutelâ solennium officiorum, magistra innocentiz, chara proximis, accepta alienis, omni loco & tempore favorabilem præ se ferens vultum, denique nutrimentum & stimulus virtutum. Sæpe enim videmus, fractos pudore, qui nulla ratione vincerentur. Cic. Tusc. 2. ut recte dixerit Seneca, quod non vetat lex, vetat pudor.

Nec sileamus penitus appetitum laudis & gloriæ, cum optimus quisque maxime gloria incenditur, honosque artes suscitatur.

Denique cogitationes cum spe vitæ proximioris etiam in posteros, ut partem sui, totamque suam genus directas, quod e visceribus suis prognatum, post mortem felix, beatum opibus, potentia, honoribus florere, in decus suam, optari solet. E gaudet animi commotionibus ejusmodi, quæ si non virtutes ipsæ, certe virtutibus similes

les appareant, atque ad honestas actione-  
edendas valde extimulent. Cic. Tusc. 3.  
Sunt ingeniis nostris semina innata virtu-  
tum, quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad  
beatam vitam natura perduceret.

10. Homo affectibus sæpe vehementer  
turbatus, nihilo secius, si rationem ducem  
velit sequi, istis insultibus superior esse  
potest.

E. gaudet affectibus, qui in se quidem ra-  
tione carent; rationis tamen participes  
possunt fieri, auditò rationis imperio.

11. Homo, teste Historia & experientia,  
invenit jam, & adhuc dum invenit artes li-  
berales, illiberales, disciplinas, scientias, in-  
strumenta, aliaque vitæ humanæ commoda  
& accepta; cum bruta, ut in araneis, api-  
bus, hirundinibus, videre est, vix umbram  
pariant humani artificii.

E. gaudet ingenio ad scientias ac cætera  
laudatu digna idoneo.

12. Homo anima ratione prædita coru-  
scat; quod hætenus allata & alia eodem  
pertinentia aperte demonstrant, in quibus  
ipsa sapius agit, quod suum est, absque con-  
cursu materiæ.

E. gaudet etiam anima spirituali, adeoq;  
& simplici, h. e. omnis materiæ experte,  
adeoque & immortalis, quæ immortalitas  
cogitantibus nobis se approbat, & mentis  
inge-

ingerit oculis, ita, ut etiam a gentilibus sanioribus, Platone, Aristotele, Cicerone, aliisque credita, & Philosophiz præsidiis passim propugnata fuerit.

13. Historiz ex monumentis confirmati novimus, primos mortalium possessionem terræ, quantum in se, sibi vindicasse, & deinde in vacua venientes occupasse, & hodie res nullius sibi proprias facere audimus; unde eis acquisitum est dominium. De quo notanter Naso: Sanctius his animal mentisque capacius altæ deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset: natus homo est. Vere sanctum animal, utpote cujus violatio severissimis pœnis a Deo est prohibita. Et qui aliter potuit fieri, cum terra hominum domicilium, homo autem totius universi imago quædam & compendium, & parvus mundus sit a Deo Sapientissimo constitutus? Quo digitum quasi intendisse videtur jus civile, cujus sanctione non sunt in fructu partus hominum, ut sunt foetus pecudum. Etenim absurdum visum est, hominem in fructu esse, cum omnes fructus rerum natura hominis gratia comparaverit.

E. gaudet libertate naturali, ea, quæ juris permissivi mater, facultatem naturalem dat agendi, & jus in hanc terram, ejusque res, fructus, feras, & in cætera. Hoc jure freti, singuli possunt æqualiter occupare, quod

est nullius; singuli habent jus in suas actiones, earumque commoda, jus conservandi suum corpus, vitam, homines, alios, jus in societatem domesticam, ejusque jura ad singulos inde derivata. Et has facultates exercere potest homo, sed ita, ut alteri homini eadem facultas salva ac ilibata maneat. Hinc homo in his terris vicem gerit Dei, attemperans se divinæ voluntati, præsertim aliis imperitans, ut Dei vicarius. Quocirca etiam Dei quandam (in sensu improprio, quatenus divina quædam refert) habet imaginem. Ad eamque pertinet omnis felicitas; cujus modo capax fieri potest mortalitas. Neque sua, verum Creatoris O. M. causa creatus, homo dicitur instrumentum & panegyrista Dei in hiscè terris.

14. Vitam ipsam hominis ultimo loco nominamus inter partes naturalis dignitatis; vitam, inquam, haud sane belluinam, ut sensus communis docet; nec animatam saltem, quam & plantis tribuit Philosophus; sed insigniter exornatam donis benignitatis divinæ, præfidiisque divinæ benevolentie, ut esset bonorum temporalium fundamentum, æternorumque occasio.

§. 4. Ex hoc corporis animæque statu, hoc est, vita humana, & præcipue animæ dictis facultatibus, dotibus, inclinationibus; tanquam ex suis partibus, conflata, oritur dignitas, quam afferimus, hominis nati,

nati, cujus beneficio aliis omnibus in un-  
 versa rerum natura creatis (exceptis Ange-  
 lis) longe antestat. Nobis enim, ut Cicero  
 ait, personam imposuit ipsa natura, magna  
 cum excellentia præstantiaque animantium  
 reliquorum; sic, ut homo, iudice Grotio  
 sit animans multo longius distans a cæteris  
 omnibus, quam cæterorum genera inter se  
 distant. Nolo hominis laudes heic conge-  
 rere, e.g. Trismegisti, Lactantii, Augustini,  
 aliorumve, quando homo nunc magnum  
 miraculum, nunc animal divinum appella-  
 tur, præter quem in terra nihil magnum;  
 in quo non tantum creaturarum omnium  
 compendium, divina prudentia absolverit  
 sed & Deltatis suæ imaginem luculenter ex-  
 presserit. De hac excellentia hominis con-  
 sularur Xenophon Memorab. Plato in Ti-  
 mæo, Philem. Corrupt. mundi. Ambros. I 3.  
 Hexaem. Jacot. de Mandatis d. Dign. & Ex-  
 cell. hom. Quæ Thales Milesius confido-  
 rens gratias agebat fortunæ, quod homo,  
 non bestia, natus esset.

§. 5. Sed quosdam audias statuere, digni-  
 tatem a natura nullam, omnem vero ex re-  
 bus bene gestis & ex merito esse & virtu-  
 tem solam dignitatis generatricem haberi.  
 His equidem facile assenserim, quod digni-  
 tas moralis virtuti originem debeat, quæ  
 quam talis dignitas locum reperiat, etiam  
 sublata eius causa, virtute, ut ex generis no-

bilitate apparet ; ubi degeneres tamen suam dignitatem ac nobilitatem retinent. Ac ideo dignitatem naturalem, quæ ex natura proficiscatur, negare non debebant, satis ut opinor, in superioribus probatam. Dignitatis nomen etiam corporis pulchritudini Latinis tribuitur. Multo igitur magis statui naturæ humanæ suis dotibus nitenti. Sic citatus de Manectis, Mirandula, Majolus naturalem dignitatem hominibus attribuere, non dubitarunt.

§. 6. Obstat tamen naturalis hominis miseria, ab omnibus fere gentilium Philosophis agnita & deplorata. Qualis, nascendi difficultas sine aliena ope, enutriendi, subtractis suppetiis, desperatio & inde resultans periculi necessitas, naturalis nuditas, & inde necessaria (certe in locis frigidis & temperatis) tegendi corporis molestia, affectuum impotentia, libido insatiabilis, gula ciborumque abundantium luxus & mollitia, vestitus ostentatio luxuriosa ac sumtuosa, gloriæ cupiditas immodica, æmulandi malignitas, malorum præsentium dolor delicatissimus, rerum futurarum vana curiositas, divinorumque abusus seu superstitio, contentionum atque bellorum protervia, judicandi proacitas, cavillandi temeritas, subptæcendi studium, sapientiæ falso perivale stoliditas, vitiarum affirmatio & amor, injurarum aliis inferendarum pronitas, ab aliis de-

declinandarum exaggeratio fastuosa, inexhausta vindicandi sui cupiditas, stimulus insuperabilis ad consequendos honores, desideria, oscitantia, stupiditas, ignorantia, dolus, versutia, denique paupertas, ut reliqua sicco pede transiliam, onus Ætæna gravius. Enimvero miseriam veram, non fictam, ut nonnullis placet, nemo non & sentit, & intelligit. Simul vero & felicitatem in enumeratis donis, homini concessis, agnoscit, & gratus celebrat. Sicuti alias, ita hic bona malis miscentur. Siquidem inter malos non paucos, tamen ejusmodi invenias animos, quales virtus optat sibi, malorum olores, bonorum, quoad natura humana permittit, promotores. Cur autem de opificio Dei sermonem facientes, non potius bonæ quam malæ indolis homines nominaremus? Quare ex bonis suis homo dignissimum habeatur animal, ex malis miserum, imo & miserrimum. Quid autem si cum Lactantio responsionem talem formaremus; Cupiditas & appetentia in homine vehementior & acrior invenitur; vel quia hominum multitudinem Deus voluit esse majorem; vel quoniam virtutem sibi homini dedit, ut esset laus & gloria in coercendis voluptatibus, & abstinentia sui? Et sic de cæteris.

§ 7

Ne quis mihi hoc loco peccati, quam a  
B; primo



primo ortu trahimus, labem corruptamque,  
 inde naturam hominis objiciat. Non enim  
 de lumine divinæ gratiæ, ut sit apud Theolo-  
 gos, fidem Christianam docentes (quo sensu  
 non ignoramus, hominem a natura etiam  
 in rebus naturalibus & civilibus magna labo-  
 rare facultatum imperfectione, ut exempla  
 ignorantix, erroris, imbecillis judicii, ratio-  
 cinationis & electionis, item consultationis  
 hallucinantis ubique sunt obvia. Buddeus  
 Theol. Mor. p. 29) sed ex Philosophia de lu-  
 mine naturæ, quo pollet homo mentis suæ  
 compos, naturæque ætatis, ita, ut diligenter  
 intendens animum, liquido juris nat. præce-  
 pta possit cognoscere, & ad ea suas actiones  
 componere; Et quamvis suos manes gra-  
 vissimus etiam homo naturaliter patiatur;  
 tantum tamen ei, monente Wernhero, in  
 Elem. jur. N. & G. superest virium, uti stimu-  
 lantium affectuum fervorem citra peccat-  
 um, quod in foro civili puniri mereatur, vel-  
 nti deplere possit; quemadmodum hoc ex  
 contemplatione naturæ humanæ in univer-  
 sum liquido constet; neque de statu homi-  
 nis regeniti, & via salutis æternæ, sed de na-  
 turali & civili vita in his terris, aut de vita  
 morali inter homines quatenus tales, de qui-  
 bus dictum est ab Apostolo: naturalis homo  
 non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, dis-  
 quiritur. Utrumque forum suis cancellis  
 atque limitibus distinguatur & discernatur.  
 Interim Philolphi, modestiam Tullianam  
 de

de cognitione hominis naturali approbant nobiscum, præcipue ex doctrinis revelatis solidiora & profundiora edocti, cum ait *L. 3. Offic.* Nos veri juris germanæque justitiæ solidam & expressam effigiem nullam tenemus: umbra & imaginibus utimur; eas ipsas utinam sequeremur.

§. 8.

Neque malitia hominis dignitati ejus naturali derogat, cum homine nihil sævius, nihil libidinosius nihil fallacius invenitur. Quid? Creatoris providentiam quidam ajunt ideo tam tardis incrementis hominem adlescere sinere, ut longa mora ingenii humani asperitas & ferocia frangatur, temporeque mitescat. Etenim non omnes tam profligatæ sunt indolis, ut nulla religione, honestate, virtutis studio ducantur. Quin haud pauci inter lupos medios stabulantur, iis oves innoxia, sine urgvibus, sine cornibus, sine dentibus laniantibus. Imo inter gentes integros reperiuntur, quæ, ab injuriis inferendis alienæ, rerum suarum satagunt, pacemque cum aliis servare proclives & paratæ sunt, ad præinde alias sibi amicas, non adversantes, socias, non disidentes agnoscunt, denique quibus opera hostilia temere suscepta sordeant. Horum ab exemplis argumentum dignitatis humanæ capiatur non a feris illis bestiis. Natura ipsa homini, ut in se est hodie, a corruptione malitiosa, in quam se multi, proh dolor! sua

infantia præcipitant, caute discernatur. Ita dubitare de dignitatis humanæ veritate desinemus.

§ 9.

Qui vero dignitatem non naturæ hominum, sed culturæ potius adscribunt, illi naturæ parum, culturæ nimium tribuunt. Nam sicut exercitatione, & cultura ingenium hominis in lucem solet protrahi, & splendidius, robustius, limatiusque fieri: ita natura atque cultura ad nobilitandum hominis statum concurrunt, natura tamen fundamentum jaciens, sola id circo dignationis laudem assequitur. Unde sapientes morum Magistri, de virtute heroica etiam gentilium verba facientes, non excludunt naturæ habilitatem, capacitatem, inclinationem. Et quidam juris nat. scriptores existimationem hominis simplicem prosequuntur; dignationem hominis naturæque humanæ conditionem nobilem allegant; quos citare jam supersedebo.

CAPUT II.

DE

INDOLE ACTIONUM  
MORALIUM.

§. I.

**C**Um homini, animali omnium dignissimo intellectus, voluntas, ratio, conscientia, judicium practicum & affectus,

B. 7

ctus,

Etus, ut modo ostensum, tanquam stimuli ad actiones honestas edendas a natura data sint: actiones morales ipsum edere oportet, quas idcirco humanas proprie appellantur: Philosophi, suntque motus hominis voluntarii, quorum effectus ei imputari possunt. Hinc.

1. Non saltem ea, quæ virtutis; sed etiam, quæ juris sunt, huc referenda. Ita vox, moralis, ea amplitudine sæpe numero supponitur, & contra bonos mores fieri dicitur, quod contra leges fit; jusque ipsum Grotio qualitas moralis definitur. Nempe Jurisprudentia, præsertim si ad alios referatur, & ad normam justitiæ, mores quoque format, quoniam homines ad amandam virtutem, ad vitium fugiendum, quibus duobus, velut cardinibus, salus publica vertitur, dirigit.

2. Ideoque haud sufficit aliquem esse justum, juri que conformem, nisi etiam attendatur, an & quali ex conscientia actio sua juri consona proveniat. Et quanquam obligationem aliam perfectam, aliam imperfectam facimus, si effectus actionum ad alios homines spectemus: tamen ratione agentis, æqualis debet esse obligatio ad exercendas actiones juris atque virtutis nec vir probus aliud sibi persuadeat.

3. Operæque pretium facturi sumus, in doctrina juris naturæ actionum moralium indolem, cujus ratio enucleate tradita justitiæ quoque inservit, breviter jam indagantes.

§. 2.

Indoles ista moralium actionum fontes, formas, operationes h. e. intellectum, voluntatem, legem, qualitates & effectus exquirat.

§. 3.

Intellectus facultas animæ ratione præditæ, res sensibus oblatas apprehendens de quæ iis iudicans, heic potissimum consideratur, qua de actionibus propriis iudicat; diciturque conscientia: Nam vulgo definiunt conscientiam per facultatem intellectus practici, quo mens humana ratiocinando lumen naturale ad actiones suas morales applicat. In quo tamen homo nunc verum nunc falsum pro vero in iudicando potest apprehendere. Et verum quidem modo certe scit, modo de eo opinatur, modo fluctuat, modo conflictatur animo. Unde.

1. Varie distinguitur conscientia, in veram & errantem, in certam, probabilem, dubiam, scrupulosam, in antecedentem & consequentem, in bonam & malam.

2. Vera de actionibus iudicat ex principis veris.

3. Errans iudicat ex falsis, sive ex errore vincibili, & per debitam cautionem atque diligentiam evitabili, sive ex invincibili (moraliter, & prout vitæ communis ratio fert) per dictos modos inevitabili.

4. Certa actionis suæ rationes novit demonstrare.

§. Pro-

5. Probabilia ex probabilibus judicans principii & aliorum forte exemplis persuasa, actionis suæ rationes demonstrare nescit;

6. Dubia, emergentibus casibus, fluctuans in utramque partem propendet, & qualibus se in utramque partem offerentibus argumentis, ob rationes inæquales in utramque partem, quasi in rationum bivio, & quia hæsitat incipiti, utrum aliquid bonum sit, an malum, faciendum, an omittendum? potius suspensio iudicii nuncupari meretur.

7. Scrupulosa, ex injecto scrupulo anxia, imo & formidine circumsepta, ne forte id ipsum in numero malorum sit habendum, quod bonum existimetur, animum sæpe miris modis sollicitat.

8. Antecedens actionem aut rem futuram antevertit, diciturque conscientia rei futuræ.

9. Consequens factum consequitur, & conscientia rei factæ inde nominatur.

10. Bona, ex actionibus patratis legi conformibus, dum has approbat, lætitiâ capit, cum tranquillitate animi.

11. Mala actiones commissas damnando, anxietatis mater, dolet se legi non respondisse. Proinde.

12. Ut recte instituatur iudicium, opus est juris notitia, seu regula luminis naturalis.

( &

( & apud Christianos, revelati ) deinde notitia facti ; seu actionis patrandæ, aut jam patratæ ; Denique iudicio, seu sententia de facto legi consentanea ; ut summatim integer evadat syllogismus, cujus Majorem prius, Minorem posterius, Conclusionem ultimum referat. Sæpe enim ignorantia iudicii obtundit aciem, quando de rebus iudicare audeamus, quarum sufficienti notitia destituimur.

13. Hæc tamen ignorantia, perinde ut error, adjuncto studio & labore, vinci potest & evitari ; eoque vocatur vincibilis. Si autem evitari nequeat, invincibilis audit. Quare, ut cautio adhibeatur debita, sequentes regulæ observentur.

14. Quilibet enitatur, ut non saltem Probabili, sed, quantum licet, etiam certa munitus sit conscientia in suis actionibus, ut rem etiam firmiter demonstrare valeat.

15. Qui recta ductus conscientia, facit omittendum, omittit faciendum, graviter peccat.

16. Immotum robur animi recta in homine conscientia efficit, ut in utraque fortuna constet sibi, neque elatus laudibus alienis neque depressus vituperiis.

17. Conscientia dubia, suspendatur actio in iis, quæ moraliter bona vel mala sunt, ne in utramque partem peccetur.

18. Dubitationem, scrupulosam quoque,

fi

si ipse anxius homo per se non potest rem accurate examinare, circumstantiasque perpendere; sapientum consiliis vel monitis eximat.

19. Scrupulum conscientiz injectum, si ex argumentis subortus sit probabilibus, non negligat, actionemque differat; sin ex superstitione enatus, profus negligat.

20. Ne agat, neque secundum conscientiam, in errore vincibili versantem circa rem malam, neque contra eandem. Alias utriusque peccabit.

21. Ne agat contra conscientiam, quae circa rem in se indifferentem errat. At secundum eandem agere tali casu, nihil prohibet. Etenim si actionem indifferentem pro necessaria falso putat exercendam, non peccat ita exercendo, neque in tali errore inest vitium morale. Si vero actionem talem omitteret, certe, ut consulto sic agens, impingeret, quod rem ex sua opinione necessariam omisisset.

22. Non insuper habeat adminicula explorandae rei probabilis? ne in ignorantiam voluntariam sua culpa prolabatur.

23. Deformis valde credulitas est, quae in doctoris unius auctoritatem temere suas actiones resolvit.

24. In rebus mediis (quae scilicet nec praecipitae sunt, nec vetitae) alterutrum, cum res celeritatem postulat, licet eligere.

25. Du-



25. Duobus præceptis inter se colligentibus conscientiamq; dubiam reddentibus, videndum, utrum alteri præponderet, prævalentique obtemperandum.

29. In rebus mediis agens secundum conscientiam errantem non peccat.

§. 4.

Intellectus (facultatis naturalis non liberæ) objectum uti est verum; ita penes hominem non est rem aliquam hoc vel illo modo sibi concipere, sed res a nobis concipitur, prout se nobis offert, dummodo & diligentiam necessariam meditationemque adhibeamus, ne, nostra oscitantia, nebulam amplectamur pro Junone.

§. 5.

Voluntas altera in homine facultas ratione prædita, qua bonum concupiscimus, & in bonum ferimur; contra ea malum averfamur in genere. Id quod fit per actus partim elicitos, hoc est a voluntate immediate productos receptosque, ut circa finem quidem actionis; est volitio simpliciter lata in finem, quem simpliciter volumus; deinde intentio h. e. desiderium efficax & prozresis obtinendi finem, quem obtinere volumus; denique fruitio, seu delectatio in fine jam obtento, circa media autem actionis consensus electio & usus. Ille media suppeditata approbat; ista determinat; hic applicat. Ex his consequitur.

1. Vo-

1. Voluntatem non tantum sponte & proprio motu, sed & libere tam libertate contrarietatis, quam contradictionis agere, i. e. hominem sua voluntate usum posse motu spontaneo aliquid agere; posse agere hoc, agere illud, rebus oblatis diversis; posse agere, posse & non agere, idem, pro lubitu suo.

2. Voluntatem sæpius ad certarum actionum commissionem, vel omissionem inclinari, vel peculiari ingenii dispositione habituque impulsam, quem regionis genius ætas, alimenta, vivendi ratio ingenerat; vel affectibus animique commotionibus incitatum exstimulatamque; vel consuetudine tanquam altera natura, cujus magnam vim esse, quotumquemque fugit? vel etiam ebrietate turbatam ad mala perpetranda inflammarum.

3. Ut ut hoc pacto voluntas deturbari videatur a sua libertate; tantas tamen adhuc vires residuas concedamus homini, ut peccati vim, in foro soli puniendam coercere sufficiens inveniatur, ne in nervum erumpat. Quæ facultas nisi homini relinquatur naturaliter, omnem obligationem, omnemque penam tolli necesse est, cum ad rem, quæ vires nostras excedat, neminem obstrictum esse, omnes ultro fateantur.

4. Cumque homo naturæ stimulis ad bonam appetitionem, malique fugam trahatur.

tur: apparet, voluntatem, unde illa appetentia, versari circa bonum, quod homini prodesse, eumque oblectare aptum est, aut certe aptum videtur. Unde.

5. Aliud reapse bonum est, quod voluntas amat: aliud apparens tantum, quod appetenti obest, licet præ se ferat veri speciem.

6. Aliud rursus est bonum honestum, & quod cum recta ratione convenit; at hic utile, lucrum secum portans & commodum; aliud jucundum, sensus afficiens quadam titillatione aut suavitate.

§. 6.

Ab intellectu & voluntate proficiscitur actio spontanea, invita, mixta.

§. 7.

Spontanea seu voluntaria, prælucente intellectu, & decernente voluntate fit, seu, a sciente & volente ortum trahit.

§. 8.

Invita aliud per violentiam, cum quis agit invitus, ab altero scilicet compulsus, alias non acturus: nam hic deest voluntas. Alia per ignorantiam, cum circumstantias rei ignorans agit: & hic intellectus desideratur. Et hæc ignorantia modo efficax est, si est actionis causa; sique abfuisset, causa suscepta non fuisset; modo concomitans, si tantum comitatur actionem, actioque nihilominus fuisset suscepta, tametsi ignorantia abfuisset. Item ignorantia alia est volun-

ta-

taria, quam sibi quis dedita opera & sua culpa contraxit, cum nempe quis ignorat, quæ scire poterat ac debebat; & hæc ante actionem deponi non potest; alia involuntaria, quæ homini nolenti obrepit, & citra suam culpam. Alias hæc dicitur invincibilis, illa vincibilis. Et invincibilis porro vel in se, sed non in sua causa, quæ culpa sua contracta in exercitio deponi nequit, ut ebrius coactus; vel in se & simul in sua causa, quæ culpa sua non contrahitur, ut ebrius voluntarius. Unde Patrator talis invitæ actionis se tantum habet, ut instrumentum, adeoque effectus in eum, qui instrumentum movit, redundat. Minime hoc loco omittatur distinctio in ignorantiam juris & facti; per illam aliquis suum jus; per hanc factum, vel circumstantias facti ignorat. Unde illa actionem non reddit invitam, nec excusat agentem, ne mulierem quidem, militem, rusticum aut minorem. Hæc vero excusat, cum dolo caret, & secum vehit poenitentiam. Quippe in nullam culpæ speciem incidit, nec lata, cum quis agit, ea diligentia omissa, quam homines alias non acri ingenio industriave exciti adhibent; nec levis, quam homines excultioris ingenii diligentiaque adhibere solent; nec levissimæ, quæ diligentiam exactissimam hominum accuratissimorum involvit.

§. 9. Mixta actio ab invito arreptum malum importat, præsentis cogente necessitate, nec

nec tamen citra omnem voluntatem, dum ex duobus malis ( veris aut apparentibus ) eligit minus, & sic spontaneum & invitum commiscens, mixta audit; magis tamen, ob majorem partem intervenientis spontanei, ad spontaneam accedit, quam invitam.

§. 10. Hæc principiorum moralium deductio simul fontes aperit moralium imputationum, quæ his regulis continentur generalibus.

I. Quæ mea sunt, ea mihi possunt imputari.  
Ergo

II. Quæ mea non sunt, ea non possunt mihi imputari.

Hinc regulæ speciales

I. Actiones ab alio patratæ, & operationes aliarum rerum, & eventus, non possunt alicui imputari, nisi quatenus ille potest & debet illa moderari. Nam quisque suæ, non alienæ actionis autor habetur. Ideoque.

Ad quod homo efficaciter concurrat, id illi potest imputari.

Et omissiones & privationes alterius, quibus avertendis aliquis erat obstrictus, possunt ei imputari.

Qui moderamen aliorum sibi injunctum, a seque receptum negligenter tractat, culpam contrahit.

Actiones aliorum hominum, meis curis commissæ, imputari mihi possunt.

Sub exceptione hujus primæ regulæ comprehendantur omnes, quibus datum est judi-

dicium morum in alios, ut sunt parentes, doctores, censores, patres familias,

Aliquando patratori actio plane non imputatur, quando egit, ut instrumentum alterius, necessitatem agendi illi imponentis, ut homicidium subditi ab imperante jussum.

2. Quaecunque penes hominem non sunt, ut adsint, vel non adsint, ea ipsi imputari nequeunt, nisi quatenus industria sua eum defectum non supplevit. Unde

Naturales defectus frustra & frivole exprobrantur homini.

Vegetabilia homini nec quicquam exprobrantur.

Defectus contra morales recte imputantur homini.

Naturalium defectuum emendationes, si in hominis sunt potestate, non inique ab homine ita defecto deposcuntur.

3. Quae per ignorantiam & errorem invincibilem patrantur, imputari non possunt. Unde

Per ignorantiam involuntariam in se & sua causa peracta non imputantur.

Error naturaliter invincibilis nemini est imputandus.

Nec moraliter invincibilis error semper solet imputari.

Qui omni cura adhibita errorem evitare non potuit, ejus error habetur invincibilis, nec imputari potest.

C

Que

Quæ contra jus naturale & positivum legitime promulgatum impingunt actiones, impingenti imputari possunt.

Quæ errore vinctibili peccantur, etiamsi a re vel persona aberratum sit, tamen erranti imputantur, ut inimicum occisurus in tenebris, si alium occiderit per errorem.

4. Cui occasio agendi deest, citra suam culpam, illi non imputatur, quod non egerit. Nam fortuna talem destituit, in se nihil officiorum desiderari passum.

Male igitur ignaviæ arguitur, materia diligentia destitutus.

5. Quæ sunt supra vires hominis, non possunt illi imputari.

Ad impossibilia naturaliter & moraliter nemo obligatur.

Qui facit, quantum potest, facit id, quod suum est.

Qui vires suas ipse non ita debilitavit, ut oneri ferundo impar inveniatur, ei sua imbecillitas temere objicitur.

6. Quæ quis coacte patitur, aut agit, non possunt imputari. Unde

Passiones ab aliis illatz, ratione reatus non sunt nostræ; bene tamen ratione sensus.

Actiones nostræ, ab extraneo motu profectæ, ratione imputationis censentur alienæ; ratione effectus physici, nostræ. Actionum mixtarum imputatio vel ex toto, vel ex parte cessat.

**Actio-**

Actiones indifferentes, ex coactione susceptæ, carent effectu, si ea susceptio agentis detrimentosa sit futura.

Rem indifferentem externa coactione confectam, legislator potest invalidam, aut irritam declarare.

7. Actiones eorum, qui rationis usu carent, non imputantur. Ex eoque

Infantibus, mente captis, furiosis imputari nihil potest.

Nec brutorum violentia, nec vegetabilium incrementa aut decremента, imputationi sunt obnoxia, nisi quatenus a nobis dirigenda ea sunt, sed tunc culpa recidit in hominem.

8. In somniis acta non imputantur nisi iis vigilantes, ante vel post somnium, si mus delectati. Igitur Peccati maculam homo refricare potest ante vel post peccatum.

Etiã habitus vitiosus, peccatorum in censum veniens, imputatur.

§. 3. Regula generalis ita se habet: Quæ mea non sunt mea culpa, cum mea deberent esse, ea mihi nihilo secius imputari possunt. Unde specialis cum consecrariis:

Ignorantia & error circa leges & officium cuique inunctum, imputantur.

Hæc enim recte attendenti ignota esse non potuerunt, quemadmodum non deberunt.



Itaque

1. Legis vim nosse magni refert.
2. Ante actionem de norma ejus cogitare oportet.
3. Ratio officii ei constet liquido, a quo ejus administratio poscitur.
4. Supina negligentia est, nec legem sibi latam nec officium sibi demandatum curare velle.

Obiter hoc loco notetur, sæpe actiones simul imputari cum actis, & quidem ordine, ut vel alter habeatur causa actionis principalis, cum dat consensum, sine quo actio suscepta non fuisset, cum non prohibuit, cum posset ac debuisset, ut filius patris jussum exequens; vel uterque in paritate causæ stant, paremque effectum præstant, cum alter actionem mandat, cum ejus imperio non esset subjectus, ut procurator alterum, jussu mandantis, convitiis proscindens; item qui operam & consilium præstat, aut partem receptant tuenturque; vel ad actionem alter, ut causa minus principalis concurrat, ut qui laudat, qui assentitur, ante rem actam qui consilium dat speciale, qui exemplo instigat. Quamobrem tenendum utilissimum discrimen inter causam physicam, quæ actionem efficit; & moralem, quæ aliter ad actionem efficiendam concurrat, quam naturali influxu, cujus modi tritis vericulis exprimi vulgo solent.

Jus

Jussio, consilium, consensus, palpo recursus, participans, mutus, non obstant, non manifestans.

§. 11. Est autem imputatio duplex, ex gratia & ex debito. Per illam effectus actionis ab altero præstitæ, quos alter sibi jure vindicare non poterat ex gratia derivantur. Per hanc actio facta, vel non facta cum effectibus suis inde redundantibus ad agentem ut causam pertinere declaratur. Ex quo apparet:

Imputationem ex gratia non nisi in rebus favorabilibus locum reperire.

Imputationem ex debito vel laudem præmiumve, si quis bene egit; vel si male egit, vituperium aut poenam etiam mereri.

Meritum & debitum accurate inter se discerni debere. Etenim meritum oritur ex præstatione operæ indebitæ, quam alter a nobis exigere jure non poterat, licet naturalis ratio eam svadere videatur. At debitum a lege præcipiente aut vetante pendet, debeturque jure perfecto nulla mercede, nullo præmio proposito. Hinc

Meritum parit aut mercedem, tanquam fructum operæ, expressa conventionne pactum aut præmium pro opera, cujus modum, mensuram ac tempus expressa pacto ne non definivimus, sed alterius arbitrio & æquitati reliquimus.

§. 12. Conscientia absque lege concipi non potest, & voluntatem hominis vagam certo limite coerceri plurimum refert: id circo legis consideratio actionum moralium indolem omnino ingreditur.

§. 13. Primariam lex divina normam constituit actionum moralium; eaque in naturalem seu naturæ hominis impressam; & positivam, seu a Deo promulgatam, idque vel toti generi humano; unde universalis dicitur, sive illa cum lege naturæ conveniat, & moralis seu decalogus vocatur, sive ab ea paulum abire videatur, vulgoque dicitur universalis positiva; vel certæ genti tantum, nempe, Judaicæ, & hinc particularis audit, dividitur.

§. 14. Normam secundariam lex humana quoque h. e. ea, quæ ab homine fertur, qui ejus ferendæ potestatem habet, actionum moralium sistit normam, quatenus legi divinæ non repugnat. Hinc

1. Actio moralis, ut recte se habeat, vel cum lege divinâ naturali, vel positiva. (in jure naturæ inter gentiles sola naturalis respicitur; positiva gentilibus incognita) vel cum humana, divinæ non adversante, congruat. Nam & quod Numini, & quod Principi, vicem DEi in terris gerenti, placet statuere, legis habet vigorem.

2. Præceptum tamen juris naturæ affirmativum, in casu necessitatis summæ, limitationem admittit: nisi ex re ipsa pateat, mortem

tem appetendam potius, quam vim præcepti eludendam.

3. In negativis vero juris naturæ præceptis nullus casus obligationem eximit in iis, quæ venerationem attingunt DEi, & quibus Numen violatur. Secus judicandum de iis, quæ spectant officia hominum inter se, ubi summa urget necessitas.

4. At leges humanæ ad casus necessitatis, quando scilicet earum observatio cum vitæ periculo, aliove insigni malo est conjuncta, extendi non debent.

§. 15. Jus gentium vulgo sic dictum non efficit distinctam juris speciem, sed est ipsum jus naturæ inter gentes usitatum, gentiumque negotiis accomodatum. Itaque

1. Nihil opus est dictis normis novam addere, quæ sit juris gentium.

2. Jus gentium secundarium, mores & consuetudines gentium respiciens proprie jus vocari haberique non potest, & ideo multo minus huc quadrat.

§. 16. Ex lege actiones quædam nominantur bonæ vel malæ; quædam honestæ vel turpes; quædam justæ vel injustæ.

Sic ergo

Actionem moraliter bonam describimus, cum lege convenientem, cum intentione agentis, & quidem quoad omnes circumstantias adeoque *Primum*: ad bonam actionem requiritur, ut omnes circumstantiæ, quis?

C 5

quid?

quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo?  
quando? præcipue autem quis? quid? cur?  
se recte habeant. Una enim existis vitiosa,  
actionem ipsam vitiat.

Deinde ut ne ex prozresi animoque ad  
præstandam legi obedientiam parato fiat.

2. Actionem moraliter malam dicimus  
bonæ contrariam, hoc est, a lege abhorren-  
tem, cum agentis intentione, & cujus cir-  
cumstantiæ non omnes legis normæ respon-  
dent; licet facinus modo inchoatum sit.

3. Actionem honestam vocamus conve-  
nientem legi præstationem virtutis, qua ho-  
mo se ipsum perficit, aut sua in alterum  
transfert.

4. Turpis actio facile ex descriptione  
honestæ designatur, nempe quod ab lege ab-  
judens, hominem non perficiat, sed potius  
moraliter corrumpat neque sua in alterum  
transferre studeat.

5. Justam actionem cum aliis a bona di-  
sternimus hoc modo, eam, dicentes, non  
saltem legi esse consentaneam, quo ipso bo-  
nam delineavimus: sed quod ea quoque ad  
personam, cui exhibeatur, accommodari re-  
cte oporteat.

6. Sic actio injusta illa erit, quæ non con-  
fertur in personam debitam, aut cui illa  
jure debebatur vel cui debitum persolvi de-  
bebat.

§. 17. No-

§, 17. Notandum hac occasione, aliud esse justitiam personæ, seu voluntatem suam cuique tribuendi, quomodo recte definitur, aliud justitiam actionis, de qua hoc loco. Et non in proportione consistit, ut quidam rentur; quamvis in omni negotio applicari proportio, vel non applicari possit. Propterea

Quod tribuit justitiæ, id vel secundum proportionem Geometricam tribuit, vel secundum nullam.

Justitia sese exerit aut distribuendo aut commutando. Illa (distributiva) in societate inita pro rata damnum & lucrum distribuit & distributionis iniquitatem ratione arithmetica corrigit, redigitque male distributum non ad æqualitatem, sed ad id, quod cuique competit. Hæc (commutativa) res & actiones in commercium venientes (in contractu potissimum bilatere) juste dispensat.

### CAPUT III.

DE

## PRINCIPIO JURIS NATURÆ.

§. I.

**D**Eus ipse voluntatem suam de actionibus moralibus impressit homini, ut autor juris nat. a quo ejusdem juris

ris origo merito repetenda, si de causa prima, ipsoque fundamento ultimo disquiratur.

§. 2. Si vero de luculenta juris notitia, ex propioribus homini principiis deducta, disceptatur, ad naturam humanam, ejusque indolem recurrendum, tanquam ad luculentius, magisque ante oculos positum, unde juris nat. decreta propius faciliusque condiscamus. De quo gloriatur Cicero l. d. leg. nihil esse præstabilius, quam plane intelligi, nos ad justitiam esse natos, neque opinione, sed natura constitutum esse jus.

Namque ideo dicitur naturæ jus, quoniam cum ipsa natura hominis ortum habuit in creatione, & ad hæc habet in naturali propagatione; & naturæ intime est infixum; per parentes naturaliter ad liberos transmittit via generationis; neque per revelationem humanam ac institutionem, sed per habitum aut certe potentiam proximam naturæ homini innotescit. Roerensæ Prud. mor. P. 3. c. 2.

§. 3. Cum vero, quid natura hoc loco significet, adhuc sit dubium: naturæ aliquid apponendum erat, declarandi gratia, nempe ut mihi quidem videretur, dignitas, ut sic evadat dignitas naturæ vel naturalis. Quippe hanc dignationem seu humanitatem naturæ humanæ obligationibus humanis, ut principium cognoscendi, luculentissime supponi posse existimo. §. 1.

§. 4. Nimirum hominis vocem sæpiuscule citari in vita communi audimus, cum quis se defensusus est: Atqui, inquit, æque ego sum homo, actu. Cum contemptum sui est vindicaturus, at ego, inquit, non ex silice aut trunco prosilii, cum nascerer. Cum alicui negotio nostram fidem interponimus, ad existimationem simplicem naturæ convertentes, mentem, dicimus nos Germani, quoties dictis facta volumus conjungere: *Ein Wort, ein Mann.*

§. 5. Eodem digitum intendit Romanus philosophus I. r. d. leg. Nos legem bonam a mala nulla alia, nisi naturæ norma, dividere possumus, Nec solum jus & injuria a natura dijudicatur, sed omnino omnia honesta ac turpia. Nam & communis intelligentia nobis notas res efficit, easque in animis nostris inchoavit, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia. Et adhuc clarius i. Offic. solus homo animantium omnium pulcherrimum, imo optimum, & commendatissimum naturæ opus est, cui personam imposuit ipsa natura, magna cum excellentia præstantiaque animantium reliquorum, solusque est ex tot animantium generibus atque naturis ille particeps rationis, cum cætera omnia sint expertia.

§. 6. Ex doctoribus recentibus quidam in eandem sententiam pedibus eunt, e.g. inter Theologos Val. Alberti, qui per subordi-



ordinationem admittit originem juris naturæ ex conditione humanæ naturæ, a cæteris animantibus plurimum differentis, tum ob societatis ad humanum intellectum compositæ excellens studium, tam ob iudicium & dictamen rectæ rationis, faciendæ & omittendæ designantis. Boecl. in Grot. pro leg. I. B. & P. inter JCtos tam Joh. Nic. Hertius d. Juris pr. in genere. Affirmat, jus naturæ ex conditione & dignitate hominis, in qua rerum opifex illum collocasset, & consensione populorum satis probari & conformari, tam Joh. Baltas. Wernherius qui in Elem. Jur. Nat. & Gent. p. 426. estimationem hominis simplicem, & quidem absolutam, ex statu humanitatis, & conditione hominum, qua talium, & officia inde fluentia deducit, tam hominis ipsius adversus alterum, quam alterius adversus hunc hominem.

§. 7. Et ne alia proferam, ipsum nomen, jur. nat. illico, modo ejus sonus percipitur, dignitatem hominis insinuat. Qui enim jus nat. dicit, hoc videtur dixisse: natura hominis adeo nobilitata est a Creatore suo, ut jus ei insit, ei competat, ei tribui debeat; quod profecto de belluis frustra dixeris.

§. 8. Fallor? an DEUS ipse apud Mosca Gen. 9. huc deducat humanum genus, cui voluntatem suam & sanctiones severissimas  
reve-

revelavit his verbis: Qui sanguinem humanum fundit, ejus sanguis vicissim effundetur, addita hac ratione, quod homo gerat imaginem DEi. Unde apparet, hominem esse nobilissimam creaturam, non conditam sicut cætera animalia, sed ad imaginem DEi factam. Hæc quamvis per peccatum amissa sit, tamen DEus post lapsum reverentiam urget homini exhibendam, ideo, quod etiam post lapsum homo teneat rudera quædam splendentis ante palatii, at sit is, qui in primordiis rerum productarum gesserit imaginem DEi; quam reverentiam per naturam hodie propagandam & continuandam; qua homo adhuc dum is manet, cujus sanguinem fundere nefas, propterea, quod primum ad imaginem DEi creatus sit, non inscite, ut judico, dignitatem naturæ humanæ appellabimus. Mosis ergo locum si ita interpreteris, salva doctrina cœlesti, principium nostrum dedignatione humana menti & voluntati divinæ congruum esse quivis intelligit.

§. 9. Juvat hoc loco etiam Ictorum auctoritatem citare. Num. 1. 3. ff. d. J. & J. legitur: cum inter homines cognationem quandam natura constituerit, consequens est, hominem homini insidiari nefas esse. Allegatur ergo cognatio hominum, i. e. æqualitas. Allegatur ideo, ut homo veretur homini insidias frueri i. e. homines

di.

dignatione præfulgentes minime offendere, propter dignitatem æqualem. Et hoc ipsum jam nostra diligentia qualicunque intendit.

§. 10. Hæc igitur positio fundamentalis a DEo ipso vim & auctoritatem naçta, omnino est obligatoria, recteque pro fundamento practico substernitur; *homo dignitate naturali præ brutis excellit.* Unde mox, aliis haud interjectis, hæc conclusio practica, tanquam norma totius juris naturæ, secundum quam omnia officia hujusce juris æstimari oportet, consequitur: talem te gere adversus Deum, te ipsum, aliosque tum extra civitatem, tum intra eandem, tum inter gentes, ut hominis dignitas naturalis, & inde deducta pietas, honestas, justitia æquitas, decorumque requirit.

§. 11. Quare hoc principium totum fundum juris exhaurit & adæquat, sive enim religionem naturalem urgens, semper tibi observabitur: homo sum, ea lege, ea natura natus, ut DEo serviam, tam præclari operis auctori. Sive vitam honestam sectari instituas: idem illud, homo sum, his dotibus instructus, ut virtuti operam dem, pro regula honestatis erit. Sive tecum vivere in statu mere naturali debeas, aut eligas: rursus istud ipsum, homo sum, excellenter præ brutis in hanc terram editus, tibi ædificandum normam suggeret. Sive cum altero  
incer-

in certamen descendat : eo te potissimum defendes, hominem esse te, non canem, non lapidem. Sive in civitate constitutus, officia præstanda habeas; quantum in eodem, quod homo sis, situm intelligatur, usu comperies. Sive Principem recogites, ut civis obligationis vinculo adstructus civium tuorum coetum, ut hominum Principem civibus, ut hominibus, non o vibus brutis præstitutum pastorem venerabere. Sive Princeps ad cives suos retorqueat oculos, non ut in pecorum gregem vel armenta, sed hominum dignitate nobilium societatem respiciat. Postremo gentes cum gentibus negotium habentes, tot hominum multitudines sese tractare, & moderatione gentibus hominum conveniente, eas excipere, sui officii putabunt esse.

§. 12. Non latet me, quibusdam id principium pro re nimis arctum visum iri: siquidem decorum quidem & honestum satis bene inde derivari posse concedant, adde etiam id, quod pium est; At juris & æquitatis regulam longe esse aliam, contendunt. Enim vero quantum sub nomine dignitatis naturalis delitescat, supra expositum, de naturæ dignitate arbitror. Nimirum dignitas hoc loco nos saltem existimationem aliquam externam, sed internam potissimum, & totam quasi sphæram moralitatis emittentem, quaque naturam humanam vel expri-

D

mat,

mat, vel referat, ac talem denique denotat, quæ obligandi vim inferat.

§. 13. Quo circa congrue quidam ex anima hominis ut spiritu, cultum DEi naturalem derivant, neque minus potestatem in conscientias & animos naturæ adversam & injustam esse probant; quoniam anima longe supergrediatur corporis conditionem.

Item nefas esse contendunt, sibi aut aliis injussu divino eripere animam, cum animis divinitus jus domicili factum sit in corpore. Omnia alia fieri cum salutis animæ exceptione, propterea quod anima hominis pars dignior. Immortalitatem animæ hominem ducem ad curam non saltem hujus vitæ, sed etiam alterius. Porro ex animo eliciunt sequentia: Quod actio moralis absque animo sit nulla: quod talis actio, qualis ejus, qui eam agit, animus; quod naturalis obligatio oritur, cum, quæ agantur, fiant ex animo: quod bonitas actionum, vel vituperatio earum ex animo disjudentur: quod expectari debeat animus, ubi inter est, cum intelligi, & indagandus animus ille, quando refert eam sciri. Alia eodem pertinentia ut præteream.

§. 14. Non tantum adæquatum est principium hoc, ut ex ipsa tractatione plenius dispalescet; sed etiam, unum est, non multiplex, & unum quidem per aggregationem, cujus, data occasione, partes suis argumentis

tis aptari prudenter & commode debent, ita quidem, ut partis citatione simul totum seu dignitas ipsa naturæ humanitasque comprehendatur. E. g. cum servitutem naturæ dari negas, ideo, quia homo omnis æqualiter a natura libertatem habet acceptam, per hanc rationem allatam non excluditur sed potius includitur dignitas, ac si diceres: homo sic præstat aliis animantibus libertatis naturalis bono, ut etiam naturalem inde obtineat dignitatem:

§. 15. Verum quoque non fictitium est hoc principium. Namque etiam in stupidissimis hominibus, huic dignitati sedes, quasque receptaculum a DEo constitutum est, Etiam furiosis & infantibus sua jura facta rectaque jus rat. tuetur.

§. 16. Cumque lex omnis, siquidem obligationem sit habitura, evidens & clara esse debeat, ut homo maturæ ætatis, sanæque mentis statim, quid legislator sibi velit, quidque ab aliis deponat, scire possit: quod nisi ita esset, iniquissime profecto ab homine ex ignorantia delinquente poena sumeretur: non dubito, quin dignitas naturæ humanæ, ut jam descripta est, adeo sit perspicua, cum in præceptis universalibus, cum particularibus ut meminem excludat ab intelligentia; siquidem nemo existit, quin sciat corporis sui conditionem, animæque facultatem infinitis modis antecellere brutorum

naturæ. Est igitur principium præsens, & perspicuum satis & evidens.

§. 17. Idem DEi ipsius congruit cum operibus, qui summam bonitatem in omnia effundens in hominem cumulate multa insigniter bona contulit, condendo hominem istac prærogativa præ bestiis, non obseptum formidine medios inter lupos, sed præmunitionum generosa mentis indole. Si qui vero tamen talem nobilitatem negligunt, contemnunt & inter pecudes se malunt projicere, humi affigentes divinæ benignitatis ornamenta, id sane non DEo debet imputari, qui tot decoramentis fulgentem fecit hominem, neque fundamentum nostrum destruere potest, æque ut malitia hominum subvertendis legibus impar habetur.

§. 18. Idem quoque ad hominem quadrat, cujus rebus in omni genere vitæ non magis consultum videtur, quam si pudore, liberalitate, existimatione, dignitatis decore ad explendam justitiam vitæque sanctimoniam inducatur & obstringatur. Gravior longe juris ac virtutis præstatio, quam amor non vis; verecundia non violentia; Inclinatio animi, non metus, voluntas ipsa Dei in et ex natura relucens, non impetum expressit. Hoc, qui in super habet, exuto, ut sic dicam, homines in beluæ se transfigurat faciem, spreteque hominis excellentia & divinis jussibus, ma-  
vult

vult obbrutescere, quam suæ nobilitatis a natura datæ non dememinisse.

§. 19. Nec præsidium hæc Hypothesis aut adjumentum ab extraneo petit, sed ab ipsa natura humana, unde jus naturæ dicitur perinde ut senatus consulta a senatu, plebiscita a plebe, nomen sortiantur. Quorsum ipsa sapientia ducit auditores suos, instillans illis teneritudinem suæ naturæ, cum monet: Quæcunque vultis homines nobis facere, eadem & ipsis faciatis. Item dilige proximum tuum sicut te ipsum. Ciceroque de lege: Natura juris nobis explicanda est, eaque ab hominibus repetenda. Et offic. 1. Nobis a natura constantiæ, moderationis, temperantiæ, verecundiæ partes datæ sunt, Eadem natura docet, non negligere, quemadmodum nos adversus homines geramus,

§. 20. Sic se gerendo, religiose habetur ratio conscientiæ, neque saltem utilitas externa mensuram præbet, quæ alias tantum causas suasorias homini insinuat; sed ipse homo suam trutinat naturam nobilem, in alterum minime irruentem tueri gratia, vel propter metum, sed laceffitus forte, sua modis legitimis defendit; non laceffitus, sua secure possidet, alteriusque, quæ illius sunt, in tuto relinquit. Qualem forte vitam vixere præsci mortalium, testibus scriptoribus e. g. Seneca. Primi, inquit, mor-



talium, & ex illis geniti naturam ineorrupte sequebantur, eamque habebant & ducem & legem. Tacitus ita: Postquam exuzqualitas, & pro modestia ac pudore ambitio & vis incedebat, pravenere dominationes. Vetustissimi, mortalium nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eaque sine poena, aut coercitionibus agebant, neque præmiis opus erat, dum honesta sumpte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabant.

§. 21. Cumque dignationi dictæ hominum semper subsit voluntas DEi, qui hominem ita, non aliter condendo, abunde per naturam ipsam, quid velit ab homine, testatus est; voluntas autem Dei in se sit immutabilis; jam id clare consequitur, ex dignitate naturali hominis ( immediate ) juris immutabilem vim demonstrari posse, neque hanc ex illa ulla ex parte labefactari: unde non valet dispensatio, neque circa nutrimenti graduum jure divino prohibitorum ( quam prohibitionem aliqui jure divino positivo universali, sed non absque scrupulo, tribuunt ) neque circa homicidia neque circa fidem etiam jurato datam, neque circa juramentum subjectionis & fidelitatis, neque circa latrocinia, neque circa jus vitæ & necis servorum.

Etenim istis permissis destrueretur hominis dignitas naturalis a Deo indita & sic in

in jus naturæ voluntatemque Dei graviter impingeretur. Quod sic tamen Deus casum jufferit regulæ communi contrarium: tunc aut casus iste nunquam ad jus nat. pertinuit, aut objectum mutatum fuisse, dicendum est.

## CAPUT IV.

D E

# STATU HOMINIS MORALITER CONSIDERATI.

### §. I.

**S**tatus hominis, moraliter considerati est conditio hominis, naturæ rationali, eoque dignitati humanæ conveniens, in qua homo, moraliter æstimandus, constitutus deprehenditur,

§. 2. Estque vel naturalis, quo homo ut homo consideratur; vel adventitius, qui factò aliquo antecedente oritur, & familiam vel etiam civitatem complectitur,

Homo in utroque statu æstimatur moraliter. Hinc

1. Ad normam juris & virtutis attemperari debent ipsius actiones.

2. Ne quis obtendat, nullum existere jus extra societatem. Quippe jus naturæ est etiam inter Deum atque inter homines, in-

ter latrones extra societatem deprehensos Sic & homo solitudinem incolens cum aliis hominibus jus habet quasi hypotheticum, quos, si præsentes aliquando habeat, ex juris naturæ dictamine tractare ipsum oportet. Sin minus habeat præsentes (quod quidem nisi extra naturæ humanæ ordinem dari non potest) tamen, ex dignitate hominis colere homines animo ac voluntate ipsi incumberet.

3. Aliæ considerationes hominis, ut naturales, qua tales, hinc prorsus exulant, & ad rerum naturalium investigatores pertinet.

4. Quæ homini accidunt naturaliter, ut esse embryonem, infantem nondum natum, jam natum, puerum, adolescentem, juvenem, virum, senem majorem vel minorem natu, marem, foeminam: ea juri naturæ subjiciuntur, ut res moralis æstimationi substrata, sine quarum contemplatione sapientia moralis nunquam satis expendi dijudicarique potest.

5. Imo non solum, ætatis & sexus ratio fundamento inest jurium & officiorum distinctorum: sed & homines nondum existentes, qui tamen ut forte extituri concipiuntur, huc pertinent. Ab his enim non obligationes quidem expectari possunt, æque ut ab embryonibus, & jam natis, sed nondum tamen actiones suas, ad normam

mam juris componere valentibus frustra quis eas requisiverit. Attamen jura, quæ alii per ætatem jam usu rationis gaudentes, eis denegare nequeunt, iis competunt. Unde

6. Injuste infanti in utero matris adhuc existenti suum, quodque illi accreverit, eripitur.

7. Et postea, ubi adoleverit, suum illud, per injuriam sibi ereptum, vindicare potest.

8. In legem naturæ peccat, qui semini intra primos conceptionis dies infert vim.

9. Qui in uteromaterno adhuc dum conclusi membra destinato consilio violat; ei infans, ea violentia debilitatus membro aliquo, si robustior sit factus, annosque maturus indeptus, litem intendere posse videtur.

10. Etiam nondum in rerum natura existenti acquiri potest, cum alicui aliquid traditur, vel jus aliquod acquiritur eo habendi modo, ut etiam ad successores idem devolvatur successione continua. Ex eoque

11. In tali casu frustra est possessor, rem sibi sic traditam alienans aut subactam pro derelicto habens, nisi conferentes rem in hanc alienationem aut derelictionem non vindicatam consentiant.

12. Nec Majores nondum natis derelinquere jura istis quoque quæ sita, possunt nisi &

conferentibus libera ipsis de juribus concessis relinquatur disponendi potestas.

§. 2. Ex utroque statu ( naturali & adventitio ) homo conditioni naturæ rationali humanæque dignitati convenienti subjicitur. Unde,

1. Homo moraliter refertur vel ad Deum vel ad se ipsum, vel ad homines alios.

2. Ad Deum refertur absolute, & in omni genere vitæ, ut cognoscat Deum cognitum ut colat Deum. Quam ob causam religio naturalis omnibus aliis officiis, quæ ab homine in statu naturali requiruntur, est anteponenda.

3. Ad se ipsum relatus homo ea curat, quæ leges humanitatis, jusque insitum humanis mentibus dicat, sive in solitudine agat vitam, sive coram aliis, sive cum aliis, etiam cum integris gentibus. Huc igitur ea trahuntur officia, quæ hominem obstringunt adversus semet ipsum, ipsumque per se attingunt.

4. Ad alios relatus homo aut vivit sine aliis, ut modo dictum aut coram aliis, aut cum aliis, idque vel cum paucis, vel cum pluribus, vel cum multis admodum in sua republica, vel cum plurimis in gentes coalitis, & vel innumeris.

5. Sine aliis dum vivit homo in solitudine collocatus concipitur in statu solitario, quan-

quando aliquis ultro in deserta abit, in latibula ab hominum consortio remota, in sylvas montesve, & inhospita ferarum hospitia, ut faciunt Eremitæ: aut quando aliquis casu in locum vacuum delatus est, puta, tempestate distractus, aut vi bellica, aut ansam præbente peregrinatione, in Insulam possessoribus destitutam rejicitur.

6. Coram aliis vivens curam gerat pro se, una & pro altero sibi naturaliter æquali, licet extra obligationem singularem vivat, proque suo lubitu sua sibi negotia suscipere possit. Hujus loci sunt conservatio sui, defensio sui, existimatio sui, cultura sui, benevolentia in homines, de quibus sigillatim infra.

Dicunturque hæc alias officia hominis absoluta.

7. Cum aliis implicitus idque facto aliquo, vel instituto antegresso, nova observet officia, quæ in statu naturæ absoluto præstare haud tenebatur, ut sunt, & quidem extra civitatem, sermo, jusjurandum, pacta, promissa, contractus, collegia, societas conjugalis, paterna, herilis, familia; in civitate vero officia civium adversus magistratus & concives & alia, de quibus suo loco pluribus. Hæc officia appellantur hypothetica.

8. Sine gentibus sæpe vivunt gentes, vel etiam homines alii, gentem non constitu-

en-

tes cum gentes quædam ( aut cætus hominum ) cum gentibus quibusdam nihil prorsus habet negotii: ut palam est. Nam aut non innotuit omnino gens genti; aut ob locorum intercapedinem, nullum cum ista commercium intercedit, quasque in statu solitario versantes sic ambæ reperiuntur.

9. Coram gentibus etiam quandoque vivere gentes sunt censendæ illæ, quæ aut vicinæ, nec tamen propterea ullo commercio colligatæ: aut quarum per territoria transitur subito, ut velut impetu temerario illæ utentes, genti illius terræ, qua transeunt, honorem transeuntibus alias debitum habere aut cum illa implicari nolint.

10. Cum gentibus viventes mutuum inter se colunt amicitiam, aut mutuis dissident odiis, indeque pax, bella, hostilitates, prout fortuna tulerit.

§. 3. Ex dictis apparet.

1. Hominem aut naturali libertate gaudere, aut eadem certe minuta, si non penitus oblata, vinculo quodam obstrictum vivere.

2. Simplicissimum naturæ statum esse solitarium; magis compositos reliquos, modo descriptos.

3. Minus tamen ( solitarium ) frequentem esse neque insignem habere hominum in eo versantium multitudinem.

4. Statum naturalem coram hominibus tan-

tantum, majori jure libertatis statum dici posse, quam quidem solitarium, cum libertas ista minus in hoc explicari possit, ob defectum occasionum, quam in illo,

4. Vinculum, cui homo in statu naturæ se obstringit, & quo se in statum transmittit adventitium, duplex reperiri; alterum societatis seu familiæ, quod aliquid de priorè libertate naturali decerpit, nec inepte statum familiæ dici posse. Alterum civitatis, seu reipublicæ, quod maximam fere partem abscindere libertatis illius naturalis solet; indeque statum civilem appellari. Quemadmodum jactura libertatis hujusce cernitur manifeste in uxore, marito sui juris subjecta in liberis utriusque parentum subjectis quamdiu sub patria sunt potestate & sic de rebus suis disponendi carent facultate, in civibus imperantis imperio subjectis.

6. Statum solitarium, libertatis atque familiæ communi nomine dici statum naturalem, quatenus hic opponitur statui civili.

7. Rursus solitarium, & sic dictum libertatis commode & merito nomine status mere naturalis venire, quatenus sociali in familiis opponitur.

8. Mere naturalem coram hominibus, frequentissimum esse & perpetuum omnesque gentes complecti ambitu suo, vigereque & exsplendescere inter gentes constitutis civitatibus. Etenim hic non homo  
cum



cum homine, sed homines cum hominibus  
gens cum gente agit, persona morali com-  
posita. Vocarique ille status potest gen-  
tilis.

SECTIO I.

DE

RELIGIONE NATURALI

CAPUT I.

DE

EXISTENTIA DEI.

§. I.

**H**omo simul ac potest de rebus judi-  
cium ferre, secreta animi lance ex-  
pendens, & dotes suas, quæ mundi  
hujus perfectiones cæteras antecellunt, in  
corpore, in anima, in bonis externis, sicuti  
demonstravimus, præcipue conscientiam di-  
vinitatis testem, & animum ad religionem  
inclinatum, i. e. suam dignitatem naturalem  
præ brutis; simul hoc universum paulatim  
cœpit perlustrare, & in eo multitudinem,  
bonitatem, utilitatem, præstantiam, magni-  
tudinem, varietatem, motum, vicissitudi-  
nem admirandam animadvertere: statim  
cognoscit causam horum omnium primam  
esse potentissimam, sapientissimam, perfectis-  
simam, quæ est ipse Deus, qui hæc omnia  
fecit.

fecerit, qui regat, quæ in coelo, terra, mari adspectabilia continentur, qui gubernet, qui cursum astrorum dirigat, mutationes temporum, rerumque vicissitudines conferret.

§. 2. Confirmatur hæc cognitio, cum ulterius secum reputat rerum creatarum fines, e. g. elementa facta esse ad componenda corpora, plantas ad nutrienda animalia, bruta ad humanas necessitates, imo & delectationes.

§. 3. Neque minus, si actiones & facta hominum, regnorum gubernationes admirabiles, perpendit. Ex his igitur

1. Confestim se ejus animo infundit hæc veritas: Deus est Autor, Opifex, & Dominus mundi, cujus quoddam compendium dici potest homo. Cic. de Div. Esse præstantem aliquam æternamque naturam, & eam suspiciendam adorandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum celestium cogit fateri. Itaque

2. Nec natura creata, nec sidera, creatoris opus, nec anima mundi, partem terræ significans, eausa existit mundi,

3. Nec mundus æternus est, quia ortum aliquando ab Autore suo habuit.

§. 4. Ex hac veritate fluit e vestigio altera: Deus est. Val. Max. Deus esse, manifestum est ex coeli & totius mundi inspectione rerumque in ipsis dispositione pulcherrima, & ordine. Igitur

5. Pro-

5. Profligatur Atheismus theoreticus directus: negans Dei existentiam.

6. Et huic tanto omnium Conditori Deo non solum omnia homo fert accepta, præcipue illam, de qua diximus, dignationem naturæ suæ; sed & obligatum se sentit, conscientia stimulante & compellente ipsa Dei Majestate suprema, qui in hominis vitam, & cuncta ejus absolutam tenet potestatem, cui ideo obligatus est homo, non saltem obligatione virtutis, qua beneficia non ingratus agnoscat; neque saltem æquitatis lege, quam in eo excitat divinorum magnitudo ac multitudo beneficiorum; sed & obligatione perfecta, adeoque juris, qua obstrictus est homo etiam naturaliter pro facultate sua cognoscere Deum, cognitumque pro facultate sua etiam naturaliter colere, ut Autorem vitæ vitæque ad hærentium bonorum tantorum.

7. Indeque religio naturalis post demonstrationem existentiz, duabus constat partibus, quarum 1. in notitia Dei naturali; 2. in cultu Dei naturali ponitur.

## CAPUT II.

DE

# NOTITIA DEI NATURALI.

§. I.

**D**eus hominem & hominis causa mundum a se conditum sua Providentia gubernat. atque moderatur. Arist. d. mun-

mundo. Nulla natura satis instructa esse potest, quæ citra Dei præsidium, suæ ipsæ demum tutelæ permixta sit. Hinc

1. Profligatur & Atheismus theoreticus indirectus, negans Creationem & Providentiam Dei.

2. Nulla prorsus imperfectio cadit in Deum, sed contra certissime omnes perfectiones, omnes pulchritudines infinitæ. Collige tecum, si placet: res hujus mundi sunt pulcherrimæ. Pulchra aliunde ortum habent: aliunde orta agnoscunt suam causam: causa tot pulchritudinum immensarum, infinita sit, oportet: Infinita illa causa non est alia, quam Deus: ergo res hujus mundi Deum infinitum loquuntur.

3. Ubi vero Dei infinitatem pro modulo imbecillitatis humanæ conceperis: etiam ejus unitas, simplicitas, spiritualis naturæ & invisibilis, facile & independentia, æternitas, præsentia infinita, immensitas, immutabilitas, quodque a nemine creato comprehendi possit, perfectio, majestas, beatitudo, omniscientia, sapientia, potentia, bonitas, amor, gratia, misericordia, patientia, sanctitas, justitia, veracitas infinita menti tuæ: obversabuntur. De quibus gentilis Philosophus passim: ea est inquit, Dei vita, qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius cogitari potest.

E

De-

Deus hominum commoda vitasque tuetur. Dii semper fuerunt: nati nunquam sunt: æterni sunt futuri. Illud videto, ut Deum noris; etsi ignores & locum & faciem. Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi non potest; nisi mens soluta quædam & libera, & segregata ab omni concretionem mortali, omnia sentiens & movens, ipsaque prædita motu sempiterno. Nihil est, quod Deus efficere non possit, & quidem sine labore ullo. Dii optime de humano genere merentur, & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religionem intuentur, piorumque & impiorum habent rationem. Ignorare Deus non potest, qua quisque mente sit. Omnia diis immortalibus debemus. Commoda, quibus utimur, lucem, qua fruimur, spiritum, quem ducimus, a Deo nobis dari & impartiri videmus. Quid potest esse tam apertam tamque perspicuum, cum cœlum conspeximus, cœlestiaque contemplati sumus; quam esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur? dii consulunt rebus humanis, neque solum universis verum etiam singulis &c.

4. Quo nomine mirandum non est, quod per infirmitatem nostram, Deum nunc exprimamus terminis superlativis, ut cum eum vocamus optimum; nunc negantibus, ut,

at, cum immenſum; nunc indefinitis cum ſignificatu eminente, ut cum ſapientem eum appellamus.

5. Deus habet in omnes homines abſolutum imperium, ut in res omnes dominium.

6. Divinitas in nullam creaturam cadit, nec ei ſine abſurda opinione poteſt attribui.

7. Notitia Dei ejuſque cultus pertinet ad omnem hominis ſtatum, ſicuti ad omnem hominem abſolute

8. Deus fons & origo exiſtit omnis juſtitiæ, æquitatis, honeſtatis, adeoque & Autor legum divinarum atque humanarum ex æque tum juſris nat. præceptivi, præcipiens faciendæ, prohibensque contraria; tum conſeſſivi, quatenus libertatem hominis naturalem non omnem reſtrinxit, ſed actiones non paucas ei liberæ conſeſſit vel permiſit; tum juſris divini poſitivi univerſalis & particularis; tum juſris humani poſitivi; quatenus cum hoc divino eſt conſentaneum, & ſic explicationem vel applicationem divini continet.

9. Omnis homo ſub eſt imperio DEI & legibus naturæ obtemperare debet.

10. Omnis poteſtas imperandi hominum Deo datori ſupremo debetur.

11. Danda homini opera, ut etiam in ſtatu naturali, extra lumen revelationis divi-  
pæ conſtitutus, ad naturalem Dei notitiam

maiores & exactiores (cujus beneficio ex naturæ effectibus & aliam demonstrationem de Deo instituat) perveniat. Jamblichus d. Myster. sect. 10. c. 1. Profecto beati felicesque illi tantum, qui se se totos adjunxerint Deo, & consecrarint.

12. In Theologia naturali de salutari cognitione corruptæ hominis naturæ de SS. Trinitate, de Christo coeli janua, de fiducia in hunc ipsum ponenda, reliquisque sempiternæ salutis adjumentis seu viis, altum est silentium, quippe cujus potiora capita modo enarrata hæc, quæ tantum ex revelatione divina hauriuntur, non attingunt. Quare

13. Ad vitam gloriosam sanctorum consequendam neutiquam sufficit.

14. Eadem tamen hominem ad notitiam salutarem atque ad lumen gratiæ revelatæ, quasi manu prehensum adducit, exhortaturque ad cætus piorum, quibus via in cætum patet, quærendum inveniendumque.

15. Quo vigilantius cupidiusque arripienda omnis est occasio, sequendus verum Deum vere colentium rumor aut fama, anhelanda doctrina salutis, suscipienda fides & fide exercenda pietas.

## CAPUT. III.

DE

## CULTU DEI NATURALI.

S. I.

**D**Es scriptum dedimus notitiam Dei in-  
niti, quoad natura hominis sibi re-  
licta assequi potest. Huic igitur, ab-  
jecta mora omni,

1. Cultum Dei naturalem adjungere o-  
portet. Seneca: magnum, nescio quid ma-  
jusque, quam cogitari potest, Numen  
est, cui vivendo operam damus. Huic  
nos approbemus. Nihil prodest inclusa  
conscientia, Patemur Deo.

Socrates apud Xenophontem, Deos  
colere legem esse, falsus est, quæ apud o-  
mnes gentes valeat.

2. Heic cultus non solum internus, in  
pectore latens colentis; sed etiam externus  
indiciis, verbis, gestibus, factis se se ex-  
rens, exigitur. Ut ut de hoc ratio sibi re-  
licta nihil sigillatim determinet, nisi quod a-  
liquo modo ex interno cultu colligatur ra-  
tio ac quædam externi, ut si amorem timo-  
rem Dei quis conceperit, consideratum de  
Deo sermonem, amorisque & timoris apud  
alios declarationem facile concipere incipi-  
at. Unde

E 3

3 Ex-



3. Externus Dei cultus apud gentiles multis modis variat.

4. Cultus privatus in statu nat. tam varius esse potest, quam ipsa ingenia privatim Deum colentium.

5. Cultus publicus, coram aliis honorem Deo exhibet, & exemplo est aliis, ideoque necessarius.

6. Quævis natio inter gentiles externis signis Deum ita se venerari sibi persuadet, ut divinæ Majestati consentaneum esse videatur.

7. Certum est, utrumque modum cultus divini ex animo religioso, simplici, casto, atque integro proficisci debere. Unde cultus internus sequentibus forte constabit præceptis.

8. Ama Deum, bonum, gratiosum, pulchrum, perfectum, bonorum largitorem. Cic. d. nat. Deorum. Epicurus ex animis hominum extraxit radicitus religionem cum Diis immortalibus & opem & gratiam sustulit. Cum enim optimam & præstantissimam naturam Deidicat esse: negat idem, esse in Deo gratiam, tollit id, quod maxime proprium est optimæ præstantissimæque naturæ.

9. Time Deum, summe potentem, justum, vindicem, quique non colentibus se & offendentibus irascitur.

10. Fide Deo, infinite bono, veraci, potenti, etiam futurorum bonorum Auctori.

11. Reverere DEum, supremum gubernatorem, sanctum, moderatorem vitæ tuæ. Maximum, ejusque metu ne in occulto quidem malus esse velis.

12. Honora Deum perfectissimum, eminentissimum, optimum, maximum, potentissimum. Neque enim ex summa Dei perfectione non potest sequi summa ejus veneratio.

13. Acquiesce Deo, Gratosissimo, Benignissimo, Sapientissimo, Beatissimo.

14. Admirare Deum, infinitum, immensum omnipresentem, invisibilem, incomprehensibilem, absolute perfectum.

15. Gratias habe Deo, bonorum ac beneficiorum tantorum muneratori.

16. Recordare Deum, omnipotentem creatorem, conservatorem, tot munerum dispensatorem.

Cultus externus his describi potest:

17. Obtempera Deo Domino ac Rectori tuo, legum fonti, ejus gloriosa ubique Majestas. Grotius in Proleg. Deo, ut Opifici, & cui nos nostraque omnia debemus, sine exceptione parendum est; præcipue cum is se multis modis & optimum & potentissimum ostendat.

18. Gratias age Deo palam, largitori magnificentissimo, opulentissimo, indulgentissimo

19. Celebra Deum Maximum, Gloriosissimum, laudibus, hymnis, sermonibus, etiam coram aliis, tua pietate excitandis, cohortandis, adducendis. Unde cultus Dei privatus (privatim sacris consecratus) & publicus) publicos etiam in statu naturali congressus frequentans) ex celebratione vigorem adipiscuntur.

20. Ora Deum, Clementissimum, Optimum, tui amantem, Potentem.

21. Loquere de Deo omniscio & omnipotente considerate, religioseque & nomine ejus ne abutaris curiosis aut petulantibus disputationibus &c. Civ. d. nat. Deo: Mala & impia consuetudo est contra Deos disputandi, sive animo id fiat, sive simulate. Pind. Olymp. de diis honesta dicere decet hominem.

22. Honora Deum palam ceremoniis Deo dignis, & in Deum ex lumine nat. convenientibus.

23. Jura sancte coram Deo teste, fidejussore, ultore, ubi pejeratum fuerit.

24. Consecra Deo supremo actiones tuas, vitam inculpatam, decoratam honestis moribus, quos dignitas humanæ naturæ postulat, & legum naturalium observantia. Ex dictis porro patet.

25. Ubi rectus de Deo sensus, quem lumen naturæ suppeditat, cultusque in eum, natura eadem duce, monstratus vigeant,  
gen-

gentiliam quoque quænam opera & virtutes quatenus cum lege naturæ conveniunt, remuneratione externa, quæ est Dei bonitas, pensari, neque huius vitæ mortalis præmia, teste historia, illis deesse, quibus ad quærendam cognitionem Dei salutarent invitentur.

26. Per naturalem quoque religionem, si ita, ut diximus, exerceatur, vinculo concordiaæ conglutinari societates publicas privatasque. Quamobrem religionem Plato propugnaculum potestatis, ac legum honestæque disciplinæ firmamentum; Plutarchus coagulum omnis societatis & legislationis fundamentum vocavit, usque eo, ut citius urbem absque solo, quam rempublicam sine opinione de Deo aut constituere aut constitutam servare omnino liceat; qua sublata, ut ait Tullius, fidem etiam & societatem humani generis & virtutem excellentissimam, justitiam tolli necesse esse; siquidem populus populo, Princeps Principi, Domino civis, Duci miles per pacta, fœdera, conventiones, promissiones religiosas adstringitur.

27. Sublata autem a terris religione, mala horrenda in orbem eruptura esse præcipue vero.

In statu naturali.

28. Robustior imbecilliorum de sua fortuna deturbaret, opibus ejus insidiatus.

E §

29. Ho.

29. Honestatis, pudoris, fidei inania illi nomina & stolidâ haberentur.

30. Vix quisquam, nisi a fortiore subactus, vitæ modum servaret.

In statu civili,

31. Interna civitatum compages ruinam minaretur.

32. Poena superioris, fides superiori addicta nihil valerent.

33. Defensori vix ullus pro meritis ageret gratias.

34. Declinato alterius imperio, quisque imperium ad se raperet.

35. Inter cives mutua dissidia, mutuz injuriæ alerentur.

36. Magistratus legibus patriæ conculcatis, quibus libertas gliscit publica, civium opprimerent libertatem.

37. Cives, quo pacto supprimerent vel labefactarent civile imperium, callide specularentur.

38. Certe se invicem formidantes, perpetuis dissiderent suspicionibus.

In utroque statu,

39. Mors sola restaret, quæ insultus humanos, indomitamque contumaciam frangeret.

40. Suum quilibet commodum quacunque ratione, justa vel injusta, æqua vel iniqua, moderata vel immoderata, quæreret.

41. Te-

41. Teneritudo amicitiaz nulla, misera-  
tio nulla patientis amici foret.

42. Sola utilitas justis & æqui mater, re-  
ginæ pecunia dominaretur.

43. Metus ubique & dira mortis omi-  
na.

44. Victa jaceret virtus.

45. Inter conjuges rixæ continuæ pro-  
pæmodum, lites, turbationes pacis dome-  
sticæ.

46. Conscientiæ in bonam partem vis  
nulla, v. Puffend. d. o. H. & C.

47. Itaque insaniunt Politicorum nomina  
crepantes, sed id agentes, ut omnem Nu-  
minis metum ejecisse ex animo, pietatis  
confessionem ejurasse videantur.

48. Et atheismus in se foedus abomi-  
nabilisque rebus publicis etiam noxius ut  
crimen maxime horrendum, quod divinæ  
humanæque Majestatis reum facit atheum,  
& ob hanc causam a suprema potestate se-  
vere puniendum est, sicuti gravissimam  
pœnam meretur; ne futura subversa reli-  
qua superstructa simul collabefiant.

49. Neque vero abnuerim, in statu na-  
turali quemadmodum nemo ad religionem,  
aut ad diversam circa religionem senti-  
am amplectendam, cogi potest; ita in sta-  
tu civitatis gentilium cives gentiles ad sacra  
reipublicæ suæ, quam diu ei civitati adha-  
rent, & veram religionem aut ignorant ad-  
huc

huc; aut cognitam recipere nolunt, amplectenda, subsidiis moderatis adduci posse, ne turbas machinari videantur. Quemadmodum in libertate naturali libertatem obtinent cultus publici inter se homines, ut possint certe aliqui ejusdem vel diversarum familiarum coire Deum colendi gratia. Istud aequo Romanos lege publica sancitum cautumque legimus legibus XII. Tabularum, & quidem verbis: separatim nemo habesit Deos, neve novos, sed ne advenas, nisi publice ascitos privatim colunto. Sic Tacitus de diversa religione Judæorum & Romanorum differens, ait 1. 5. Hist. c. 4. Profana illic (apud Judæos) omnia, quæ apud nos sacra; rursus concessa apud illos, quæ nobis incesta.

§ 0. Quem penes est summa potestas, is religionem curare debet imperii sui, cujus salus, illa neglecta, florere nunquam potest.

§ 1. Religionem ipsam & cultum divinum non plane potest tollere Princeps; licet emendatio ipsi & cultus externi moderatio non denegetur, ne iram Numinis & vindicem ejus dextram in se provocet, seque ipse spoli & præsidio certissimo, ut modo docuimus, securitatis suæ pariter & reipublicæ.

§ 2. Religionis materia tam tenera satimonia culta fuit a gentibus, ut etiam facio-

sacrorum observarent evocationem: ut si quis Deus aut Dea esset, cujus in tutela populus aliquis aut urbs staret, locum deferrent, loca, templa, sacra, urbemque relinquerent. Qualis formula evocandi a Macrobio producitur.

## SECTIO II.

DE

# OFFICIIS ABSOLUTIS.

## CAPUT I.

DE

### STATU HOMINIS SOLITARIO.

#### §. I.

**I**N statu solitario, & sine aliis perpetuo cohabitantibus. Vivens homo se esse meminerit ab aliis animantibus naturæ dignitate segregatum. Hinc

1. Religionis, ad quam cognoscendam colendamque homo natus est, sensu cultuque ducatur. Quod officium tanto religiosius obeat, quo magis secreta mente secum reputat suam vitam, sua fata in solitudine, mortemque magis, quam in aliis vitæ generibus, præsentem videt, quam ipsa solitudo quotidie minari videtur.

2. Vitam sibi datam norit, non belluam, sed humanam, quod ipsum sua conscientia docet. Hanc igitur

3. San-



3. Sancte & prudenter custodiat, quantum suæ vires, præfensque rerum copia permittit. Hinc;

4. Ut se defendat, de tugurio, vel sepimento quâlicunque, non tam adversus homines forte advenientes, quam ferarum insultus circumspiciat.

5. Ut injuriam sibi illatam vimque mortis intentatam animosius amoliat, an hosti par sit futurus, videat, sique se sentiat impari, potius defendendo, quam offendendo, & intra munita quædam se magis occultando, cum res geritur adversus robustam & crudelem belluam, quam hosti exponendo vitam suam resque qualitercunque tueatur.

6. Ut se conservet, victus & amictus necessarius comparetur, etiam humi nascentia fraga, & quæ deciderant patula Jovis arbore glandes, fami demandæ suppetant. Mosco autem & corticibus aut foliis arborum, plumisve avium membrorum contegatur nuditas.

7. Ut ne naturam sylvestrem horroremque ferinum induat, de nobili creatura homine & sine creati hominis crebro seduloque cogitet, neque animum corpusque, quoad ejus per loci sterilitatem fieri potest, rubigine obduci patiatur.

8. Denique ut vitam sectetur innocuam, nolit res præsentis petulanter perdere,

vel

vel cibos in fastidium & suam perniciem devorare; sed id agat, ut reficiantur vires non opprimantur, semper otium & solitudinis molestiam aliqua opera utili expugnet.

9. Interea amore naturali feratur in homines, absentes tanquam presentes aut etiam per vices & intervalla nunc absentes, nunc presentes, aut forte fortuna presentes.

10. Et liberationem anhelet vitæ sterilis, periculosæ, formidolosæ, tristis, præoptans hominum occursum, quibus occurrentibus se societ.

11. Sic & Deo, & sibi, & aliis, pro statu presenti suum præstitisse videbitur, cuius summa in hoc vertitur. Vive si tibi soli vivis, pro dignitate hominis naturali seu ut hominem a natura docet.

## CAPUT II.

DE

## ÆQUALITATE HOMINUM NATURALI.

§. I.

**D**EUS omni homini æqualiter concessit facultatem agendi vel non agendi, in rebus a se nec mandatis, nec vetitis; itidemque omnes æqualiter legi præcipienti aut vetanti alligatos voluit. Quia, cum de brutis dicere non liceat, a-

per-

parte hominis dignitatem, naturæ ipsius in-  
hærentem loquuntur. Hinc

1. Cognoscitur omnium hominum æqua-  
litas juris in statu naturæ, qua singulis &  
omnibus idem jus competit.

2. Idem introitus in hanc vitam, idem ex  
eadem exitus, eadem ratio naturæ humanæ  
a parentibus æque hominibus profecta, fors-  
que vivendi naturaliter, communis, æqua-  
litem potius status physici in homine,  
quam juris naturalis, quam hic tamen inten-  
dimus, ostendunt.

3. Omnes ut æquales, quantum ad jura  
naturalia attinet, tractare oportet, ita qui-  
dem, ut quemlibet suo jure frui unusquis-  
que patiatur.

4. Cui peculiare jus quæsitum non est,  
(quod quidem naturaliter de nullo dici pot-  
est, nisi de parentibus intuitu liberorum,)  
is sibi non arroget plus, quam alter.

5. Quod qui facit, injuriam committit,  
& ad eam sanandam sese obstringit.

6. Naturæ dotibus majoribus Præditi  
in homines animi vel judicii imbecillioris,  
vel etiam virtutum minorum, male præten-  
dunt, juris prærogativam, aut etiam ipsum  
imperium.

7. Nihil discriminis apparet quoad, va-  
lorem juris inter marem & foeminam, in-  
ter robustum corpore & debilem, inter no-  
bile

bilem, inter nobilem virtute atque, ignobilem, inter homines ætatis perfectæ & imperfectæ.

8. Quicquid ergo potestate differt ab aliis si differt, id omne aut civitati, aut fortunæ acceptum feratur.

9. In jure tribuendo omnibus se quilibet parem præbeat.

10. Infantes, furiosi, stupidi, sagaciores naturæ dotibus alios antecurrentes æquale jus, quod in facultate utendi & in rem suam convertendi consistit, habent.

11. Homo in cæteras creaturas potestatem nactus natura, in hominem potestatem habet nullam. Nascuntur enim cuncti infantes nihil secum afferentes potestatis terram inhabitant absque distinctione dominiorum nullis finibus circumscriptam nec cuiquam aliquid juris præ aliis tributum apparet.

12. Mariti potestas in uxorem ab arbitrio veniens humano, necessaria non est naturaliter, neque per eam æqualitati naturali derogatur.

13. Imperium tamen parentum in liberos cum hac æqualitate non conciliatur, ut modo indicavimus, sed propter filiorum educationem, hinc aliquid excipiendum venit, donec liberi in familiam ipsi transeunt.

14. Merito naturalem æqualitatem hominum etiam ad divina accomodamus:

¶

cum

cum omnes ac singulos homines Numinis veneratio ad cultum Dei obstringat.

15. Inter homines in statu naturali degentes proprie poena locum non sortitur, sed vindicta, ut inter pares, qua quisque se contra aliorum insultus tuetur.

16. Habet autem æqualitas ingentem usum inter homines.

Tum in æquitate. Unde

1. Quod quis juris in alium statuit, eo ipsum uti oportet.

2. Non plus sibi quis arroget juris, quam par vel justum est.

3. Distributio juris utrique parti ferenda, si res ita ferat, paria deposcit.

4. Quem quisque in sua civitate honoris dignitatem tenet, eadem apud exteras non indignus existimetur. Quippe idem exteri vicissim ab aliis accipere optant.

Tum in distributione. Unde

5. Æquis partibus res communis distribui debet ejus, si communis usus respicitur.

6. Si res dividi per se haud queat, ejus alternet usus: aut pendatur æquivalens aut forti neminem contemnti subjiciatur: aut possessor tantundem pro rata solvat.

7. Si jura distribuenda veniant, cavenda inæqualitas.

8. Ne quis aliorum operas poscat, ipse nolens inservire aliis. aut operam navare.

9. Per-

9. personarum respectus omnis. hinc exulat.

Tum in acquisitione. Unde

10. Nefas alterum a possessione justa occupanda arcere, vel deturbare.

Tum in iustitia omni. Unde

11. Æqualitas iustitiæ nutritrix appellatur.

12. Paribus in causis paria jura vigeant.

13. Leges ipsæ & judicia efflorescunt æqualitate. Lex enim semper cum omnibus eadem voce loquitur.

14. Inter æquales quo quid magis ab æqualitate recedit, eo suspectius de injuria fit, eo odiosius atque iniquius.

15. Pactum inter pares ut pares, conglutinatur, & ob hanc paritatem paciscendum ex natura sua obligat non uti lex ab imperante profecta.

Tum in moderanda republica. Unde

16. Princeps etiam hujus æqualitatis sensum delicatum & æstimationem non profusus deponat ex oculis. Ideoque

17. Non facile nec promiscue civibus privilegia conferat, ne invidiæ pabulum, æmulationi culpandæ ignis subdatur, & ipsemet se periculis exponat.

18. Nec cives inæquali onere tributorum prægraventur, nec alii major immunitas ab oneribus concedatur.

19. Si cives in publicum onera contribuere, non pro ratione eorum, quæ lucran-

tur, ne scilicet alter parta per parsimoniam pro aliis erogare cogatur, alter per luxum dissipata non debeat erogare, sed præ ratione eorum, quæ consumuntur, æquum censet Hobbesius.

20. Quo sensu Aristoteles æqualitatem mutuam conservare civitates; Euripides, eandem devincire ac decere homines dixerunt.

Tum inter gentes. Unde

21. Æqualitas gentium naturalis ubique a gentibus disceptantibus allegari solet.

22. Imo hac ipsa gens quælibet suum statum tuetur, tanquam in fundo solido collocata.

23. Reges, quique in civitate regia præfulgent dignitate ac potestate, jure censentur pares.

24. Reges se mutuo fratres appellare, gentium pars humanitas, seu conditio status humani postulat.

25. Inter Principes & Res publicas nulla est jure naturæ præcedentia.

26. Nec quicquam igitur de præcedentia certatur.

27. Quæque ex hac causa suscipiuntur bella, maxime vituperantur.

28. Ne tamen lites & bella oriantur, commodum putatur beneque consultum, attendere Principis vel alterius magistratus supereminentis privilegia, res judicatas, consue-

fuetudinem & usum , monumenta publica ( ut constitutiones, diplomata &c. ) conventionem, pactum tacitum, comparisonem aliorum dignitate eminentium, quos quis præcedit aut sequitur.

29. Sic dignitates hujus reipublicæ ab Imperante concessæ extra eandem jure naturæ censentur nullæ.

30. Nobilitas hujus reipublicæ non perinde extra ipsam hanc rempublicam valet.

31. Inter Principem eligendum & populum intercedit æqualitas.

Hinc

32. Populus in regni controversia sibi judicium potest sumere.

33. Inter cives diversi imperii pactio per litteras sibi mutuo datas, firma habetur, tanquam hominum e diversis gentibus oriundorum.

Tum in officiis humanis. Unde

34. Ex æqualitate quidam demonstratum eunt, fugiendam esse superbiam, neminem lædendum esse, officia humanitatis promenda, pacta servanda. Quæ quidem ita bene colliguntur. Nos tamen impræsentiarum æqualitati solum jus dedimus, tanquam matri filium. Reliqua libertatis, existimationis, benevolentiaque titulo insigniemus, non exclusæ æqualitate, quoniam dicti tituli rem propius & clarius exprimunt. Pactis non æqualitatem, sed dispositionem hominum fundamenti loco substernemus.



CAPUT III.

DE

LIBERTATE HOMINIS  
NATURALI.

§. I.

**L**ibertas hominis naturalis est, facultas sine subjectione agendi libere in rebus sibi a natura concessis. Ergo

1. Libertas ista non opponitur obligationi juris naturæ ac si homo a natura esset sine obligatione, sed subjectioni, quam nescit naturæ status.

2. A natura non datur servitus personalis.

3. Male confunditur hebetudo ingenii, in quibusdam hominibus deprehensa, a facultate juris naturali omnibus æquali.

4. Male aptitudo, ut causa juris naturæ venditatur, alias plerique (ut stupidi) hoc jure carerent, & mediocri solertia præditi sibi jus alterius rapturi essent.

5. Servitus ejusmodi a factò hominum est, non a natura.

6. Qui ergo credunt, prudentioribus ab ipsa statim natura in hebetiores actu esse imperium datum, aut etiam jus tale, ut illi hos etiam invitos ad serviendum possint compellere, vehementer errant.

7. Proles a parentibus exposita in statu natu-

naturæ, a quocunque autem occupata, in libertatem postea adultior facta, vindicare se potest.

8. Omnes homines gaudent naturali libertate sic, ut eadem apud omnes facultas juris utendi sibi a Creatore concessi resideat.

9. Hæc facultas ab alio recte non potest impediri.

10. Ejusque res juris vulgo appellantur res mera facultatis, seu accuratius res juris communis, quas homo exercere potest absque consensu alterius, ut res occupare nullius, iter suscipere per vias publicas, domum suam facere altiore, haurire aquam profluentem.

11. De istis homo potest disponere, & agendi jus habet.

12. Itaque licite homo rebus creatis & actionibus propriis utitur, quatenus non impeditur ab eo, qui recte potest impedire. Unde

13. Quisque hominum conventionem seu dispositionem jus suum transferre valet in alium, ut deinde alterius fiat jus, prioris autem esse desinat. Hinc

14. Ita concessa alteri non ex causa libertatis naturalis, sed concessionis specialis competunt.

15. Quæ propter quilibet sui juris est; exceptis liberis sub parentum disciplina adhuc degentibus, & legibus divinis, ut patet.

16. Licet cuique facere, quod non est prohibitum quæ facultas profecto existit amplissima, eaque eo usque concessa præsumitur, donec restricta appareat. Ideoque

17. Quisque rebus in medio positis uti, fruique potest.

18. Quisque suarum actionum dominus suarumque rerum moderator & arbiter habetur.

19. Si tamen semel placuit rem aliquam per arbitros componere, ab his lectis provocare non licet, quia libertati huic semel renunciavit.

20. Nemo alteri a natura est subiectus, cum nemo in statu naturalis libertatis habeat superiorem, & nemo in alterum aliquid potestatis habeat citra factum aut pactum antegressum. Quare

21. Nec dona ingenii excellentiora, nec potentia forte comparata, nec opum apparatus & copia alterum ad obsequium obligare apta sunt.

22. In eodem statu homines nec ut imperantes, nec ut parentes considerantur.

23. Etiam gens unaquæque sui par est, alisque gentibus æqualis, & propterea nulla alteri subiecta, nullius in alterum imperium, neque omnium in singulos est, singulæque gentes sua sine imperio ac sine iudice alieno expediunt.

24. Libertatis naturalis exempla eminentia

tia referunt Imperantes. Hi enim hodie non alio, nisi naturali, reguntur jure. Unde

25. Nullus regnantium alteri regnanti potest leges præscribere.

26. Gaudent, eodem argumento libertatis naturalis freti, jure belli Imperantes.

27. Sique fundum ipsum rimemur juris repressaliarum, a libertate naturali is repetendus erit, licet proxima ejus ratio in negata justitia quaerenda sit. Justitia enim nostro civi denegata ad vindictam similis duritiae nos irritat, si hoc modo alterum ad meliorem mentem queamus flectere. Sic qua libertate alter læsit prior, eadem alter læsus ulcisci læsionem potest. Unde vel civi extero ob nostrum læsum, nolimus quaerenti aures nostras patefacere, vel personam aut rem ejus detinemus apud nos, donec nobis satisfiat.

28. Cessantibus in civitate, ex temporum injuria, judiciis, recurrit libertas naturæ & æqualitas.

29. Cuius incumbit, quantum in se, servari & servare sibi naturalem libertatem.

30. Viles & abjecti vilem putant & flocci faciunt, imo rejiciunt libertatem, qua editi sunt in hanc lucem.

31. Semper homo existimatur liber (adeo magni momenti est, libere natum esse) donec probetur contrarium, h. e. servitus.

32. Nemo quisque abdicare potest suam liber-

bertatem; sic eadem semel abdicata simpliciter, non datur regressus ad eadem, nisi consentiente eo; cui jus est.

33. Frustra est Hobbesius, homines statuens cum libertate nasci, sed per nativitatem in matris dominium occupari & redigi.

CAPUT. IV.

DE

EXISTIMATIONE HOMINIS NATURALI.

§. I.

**E**Xistimationem hominis naturalem dico esse honorem (simplicem) homini debitum, humanitatem. Itaque

1. Fundamentum ejus petendum a dignitate hominis naturali orta ex præstantia corporis, animi, vitæ, jurium & similium, de quibus supra; simulque ex hominum cognatione, qui se invicem honore tali excipere justum reputent.

2. Honor hic consistit in eo, ut homo censeatur esse homo, hoc est, eximium prorsus animans, primæque inter omnes dignationis. Qui excellentiæ status brutorum, in alia omnia tendens, opponitur. Nam ut hominem sanctum animal habere oportet ex justissimis causis; sic causæ nullæ sunt, qua-

quare idem sanctimonix studium etiam brutis deferas, ut pote quæ corrumpere & in usus necessarios consumere homo per naturam potest.

3. Unusquisque se statu suo naturali dignum præstet, non belluinam, verum humanam agens vitam; quo decus humanum ex ipsa vita ejus eluceat.

4. Quisque apud alios etiam pretio humanitatis æstimetur, idque ex æquitate naturali; ut talis habeatur alter, qualis ipse ab aliis haberi velit, ac debet.

Igitur

5. Nemo non pro homine frugi & pro viro bono habeatur, donec ex factis contrariis probetur contrarium.

6. Ne quis se aliis temere præferat, fastu aliquo aut superbia tumens.

7. Ne quis alios tanquam sibi impares vel inæquales despiciat.

8. Ne quis signis externis, factis, verbis, gestibus, vultu, oculis visu contemnere alterum, aut contumeliam nomini ejus inferre audeat; sive ei adsunt bona animi corporis, fortunæ, quibus permotus alteri insultare audeat; sive non & contumeliam ideo saltem assumat, ut sibi plus gloriæ arrogasse, altero spreto, existimetur.

9. Ne quis aliorum infirmitatem, qua laborant illi, nimis exaggeret, suam contra extenuet; sive ea naturalis sit, sive moralis.

lis. In priori tamen iniquius, salter offenditur, quam in posteriori.

10. Quo nomine commendatur generositas submissa, & submissio generosa, fragilitatis, debilitatis, erroris humani memor.

11. Si quis autem hujusce generositatis obliviscitur humanitatemque vel negligit, vel etiam profligat, is existimationis naturalis damnum patitur.

12. Quod damnum tanto majus censetur esse, quanto majus peccatum.

Hinc

13. Enorme peccatum enormis infectatio ejus recte sequitur.

14. Vitium turpissimum notam incurrit turpissimam.

15. Maculam sibi adpersam eluiturus ad poenitentiae asylum confugiat, eamque aut alteri læso, vel etiam non læso, quippe in se tantum turpiter hactenus vivens, coram aliis, adductis poenitendi argumentis, palam faciat.

16. Si cui injuriam intulerit aut damnum, utriusque fiat reparatio, alioquin existimatio detrita nunquam resarcietur.

17. Ubi vero nulla emendatio, poenitentia nulla, nulla reparatio insequitur, existimatio dicta expirat in perpetuum, & ultimum malum emergit denique, pro hoste haberi ab eo, cui illata injuria.

18. Habetque hæc humana existimatio

can-

tantam vim, ut etiam imbecilibus patrocineretur. Unde

19. Etiam furiosi atque infantes censentur dominii capaces; licet ipsi per se administrare non valeant dominium.

20. Extrema inopia compulsus, si ad vitam suam servandam ab homine abundante frustra rogato, frustrave ei opera sua delata, rapit, clamve subducit esculenta, non habetur furti reus; modo, fortuna deinde in melius mutata, compensandi raptum animo feratur.

21. Non solum in naturæ statu, sed & civitatis, vivit existimatio humanitatis. Hujus enim opera quisque inter cives pro æque cive, & alicujus utique pretii, neque nullo in numero putatur ut civis. Nisi quod interdum aliqui vilescant, vel vitiis suis, ut lenones, vel rerum abjectarum tractatione.

Hinc

22. Demum aliquis ob delictum existimatione simplici spoliatur, quando vel morte, vel exilio, vel infamia afficitur.

23. Ob ministerium publicum rei etiam horridæ, ut est carnificum, nemo reputatur infamis, aut indignus existimatione.

24. Neque statim quis existimatione privetur, sed de hac poena publice & consulto deliberare fas est, & quidem, præter imperantem, etiam populi suffragium quidam efflagitant.

25. Quic-



25. Quicquid vero, ultra honorem simplicem, sortiuntur honoris, id ab excellentē virtute, egregiis animi dotibus, insignibus meritis, eruditione, nobilitate, formæ præstantia, fortunæ amplitudine profiscitur, debeturque modo obligatione imperfecta, qua alienam virtutem æstimare sumus parati; modo obligatione perfecta, cum vel ex imperio superiorem colere devincimur vel ex lege publica patriæ, quæ talem virum honorari præcipit: vel ex pacto, dum nos ad hoc, ut alterum honorificentius excipiamus, nos obstrictos intelligimus. Ex quo

26. Illum inhumanum quidem & forte etiam rusticitatis plenum existimamus esse, qui nulla perfecta obligatione cum teneretur, præstantiam alterius venerari detrectat, minime vero dignum poena, ob defectum injuriæ, qui isto pacto non admittitur.

27. Contra obligatione perfecta ligatus, cum alteri honorem debitum subtrahit, & Inhumanitatis & injustitiæ impingit regulas, atque injuriosus poenæque obnoxius esse judicatur.

28. Princeps suos cives non ut homines sed ut beluas tractans, hominis ipse officium violans, humanitatemque conculcans, injuriam sane grandem committit.

29. In gentibus æque ac in civitatibus spectatur naturæ humanæ dignatio. Hinc

30. Potestas summa naturaliter non pe-

nos

nes hominem unum, sed totam societatem hominum est, cui, & inde eligendi unum aut plures & auctam hominum societatem perque terras dispersam deinceps in plures civitates particulares dividendi potestas est.

31. Principi non læso jure naturæ nullum jus competit in alterum Principem, qui summum imperium habet.

32. Singularis gentibus libertas constituta est cum exteris matrimonia contrahendi, hac quidem lege, ut a matrimonio absque injuria, etiam bellis resarcienda, populus excludi non possit.

## CAPUT V.

DE

# CONSERVATIONE SUI.

§. I.

**C**onservatio sui est officium, hominem ad statum naturæ suæ conservandum a natura obligans. Hinc

1. Non est liberum aut arbitrarium, se conservare, sed necessarium, & jus ab ipsa natura haustum; siquidem nobilitas naturæ humanæ facit, ut homo, delicata sui æstimatione ductus ad conservandum se omni cura & cogitatione feratur.

2. Cumque homini data sint corpus, animus, vita, opes; quatuor istis potissimum custodiendis natura invigilat, invigilare etiam

iam ea ducere hominem oportet. Unde

Quoad corpus.

3. Curanda corporis nutrimenta & vestimenta ad illud sustentandum & contegendum.

4. Itaque tantum quisque labore suo vel solertia mentis illæsa semper honestatis integritate comparet sibi, quantum alendo convestiendoque corpori sufficiat.

5. Curanda corporis sanitas, vires ejus fervando, & præservando. Huc igitur faciunt.

6. Usus salubris aëris.

7. Usus salubris & moderati cibi potusque, quo reficiantur vires, non supprimantur.

8. Usus alternus somni atque vigiliæ modicæ.

9. Usus moderati motus & quietis corporis.

10. Tempestiva ciborum retentio, excrementorumque ejectio.

11. Moderatio affectuum tumultuantium.

12. Venus, si adhibenda, sobria & pudica.

13. Ad sanitatem amissam recuperandam opus est naturæ ægroti exploratio.

14. Rerum ægroti noxiarum, innoxiarum, utiliumque scrutatio.

15. Medicina naturæ ægrotantis accommodata. Ideoque

16. Præ-

16. Præstat, hominem esse medicum sui, morbos & symptomata morbi nosse, quantum potest, medicinam salubrem adhibere, medicumque peritum, cui tuto fidendum, consulere, si necessitas urgeat.

17. Fugienda insuper corporis læsio,

Hinc

18. Pericula vulnerationis, contusionis, mutilationis, deturpationis, luxationis, membrorum, lapsus gravioris, præcavenda.

19. Chirurgi opera advocanda, sicubi membra læsa ipse sanare nescias, aut nolis, aut non possis.

20. Nemo potest favere in membra sua,

21. Nemo habet potestatem absolutam in corpus suum, sed limitatam.

22. Neque habet arbitrium eorum, quibus corpori aliquid decedit, ut de iis in utramque partem statuatur.

23. Neque etiam corpus leviter habendi licentiam.

24. Corpore bene se habente, haud facile ægrescit animus. Nam illius fulturis sustinetur,

Quoad animum.

25. Animus non curis, non studiis immodicis, non meditationibus continuis atteratur, multo magis frangatur.

26. Affectus inimici, animumque nimis perturbantes repræstantur. Unde

27. Ejiat

27. Ejicienda invidia, proprium hominis tormentum.

28. Jra furor, & vindictæ cupiditas æstuan-  
ans refrenanda.

29. Tristitia animum corrodens, expellen-  
da animo.

30. Relegandus metus anxius, quippe cu-  
jus dominio cor humanum in angustiam re-  
digitur.

31. Amarulentia, altiusque insidens odium  
procul arcendum.

32. Cœlum possidet vitæque suæ non pa-  
rum commodi affert, qui tranquillitatem ani-  
mi, eundemque in utraque fortuna vultum,  
eandemque frontem retinet.

33. Recte factorum conscientia morsus  
conscientiæ non admittit, quin contra am-  
plissimum honestæ hilaritatis theatrum ex-  
pandit. Quo nomine vitæ honestas & ra-  
tio vivendi cum virtute conjuncta valde pe-  
re commendantur.

34. Homo non absolutam, sed restrictam  
potestatem habet in animum.

35. Neque arbitrio ejus substant ea, qui-  
bus aliquod detrimentum animo affertur.

36. Levis est animi, leviter tractare ani-  
mum, animique facultates & operationes.

Quoad vitam,

37. Vitam homo quam beatissimam quam  
maxime diuturnam cupiat transigere. Inde

38. Membri abscissionem postponat ipsi  
vitz.

39. Etiam

39. Etiam si, usurpato medicamento, imbecillitatem contrahat ingenium, aut memoria; tamen conservatio vitæ sic anteferenda.

40. Ad longævam usque, quantum id quidem penes hominem est, senectutem, fas est annos vitæ producere neque ad contrarium obligatur homo.

41. Nemo sibi vitam potest eripere neque rædio molestiarum, neque indignitate malorum communium, vel priorum, neque metu dolorum, neque per vanam æstantiam fidei, aut fortitudinem, neque ob ignominiam nullo fundamento subnixam.

42. Neque inedia lentave tabe in mortem cupiat flaccescere.

43. Mortem sibi consciscere est manifesta mentis insania.

44. Siquis tamen videat, se, vita conservata, Deo fore opprobrio vel in opprobrium ejus victurum esse, aut qui cæde sua bonum majus promoverit, de eo paulo liberalius statuendum videtur.

45. Idem fortassis statuendum, cum in eo est, ut quis a Principe crudeli in mortem conjiciatur, idque cum eruciatio intolerabili.

46. Neque minus cum innocens, ob delicta prætexta, a Principe, mortem festinare jubetur, aut festinatione tali ignominiam carnificis ei conceditur effugere.

47. Licet quoque in servituro aliis, vitam breviorē eligere.

48. Licet certis in casibus periculum mortis subire.

49. Pro patria mortem oppetere, si aliter salus publica nequeat expediri.

50. Militaris vita conservationi naturali hominis nequitam adversatur.

51. Jure taxantur illæ leges hominum, quæ vitam humanam projicere jubent, aut permittunt nihil delinquentibus.

52. Lustrationes gentilium, quibus sanguine humano iram Deorum placari opinabantur, in jus naturæ impegunt.

53. Temere se in manifestum mortis aut vulnerationis periculosa discrimen conjicere juri naturæ adversum est.

54. Duella & provocationes, ubi magistratus copia esse potest, illicita merito existimantur, si tendunt ad vindictam: Sin vero ad reparationem damni, in statu quidem naturali injusta non sunt; in civili autem sunt injusta, quoniam per judicem, ut dixi, damnum potest reparari.

55. In casu necessitatis ( cum, propter periculum mortis inferendæ, vel boni irreparabilis amittendi non nisi via unica potest resisti ) etiã contra jus licet agere, vitæ servandæ gratia; modo medium se conservandi non suppeditetur a malicia hominum, contumeliam Dei intendente.

56. In

56. In naufragio alterum a tabula; quæ utrumque ferre nequit, violenter repellere; item alterum, clausa porta, hosti relinquere haud nefas.

57. Claudio, cæco, infanti aut furioso fugientem salutis causa in via impredientibus, periculum mortis, aut magnæ læsionis indirecte intendere licet.

58. Famis tempore, vesci humanorum cadaverum carnibus non prohibetur, isque cibus miserandus sane est, sed tamen necessarius.

59. Horrendum magis, quam injustum, extremæ famis necessitate, unius aut plurimum admittere interitum, quo reliqui seruentur.

60. Urgente durissimo necessitatis telo, res alienas, ut me conservem, possum jure non refragante adimere, ea mente, ut sublata illa necessitate, restituam ablatas, vel compensem.

61. Adeo, quæ ad hominis faciunt conservationem, quisque potest usurpare omnia, quatenus jus alterius eo pacto non læditur.

62. Etiam jus arripiendi, si quærenti negetur id, quo vita carere non potest premente necessitate, conceditur, sic de vita periclitanti.

63. Multo magis de jure nostro concedamus oportet, si ea concessio vitam salvam reddat atque incolumen.



64. In eaque conservandi sui studio desidia nulla jure indulgetur : Vigilantibus cura suavitæ injuncta intelligitur. Vigilando vim nocentium aliasque insidias nocivas eludamus.

65. Hæc eadem conservatio sui denique studium pacis svadet, belli dissvadet, ideoque belli remedia, pacis adjumenta & firmamenta commendat.

Quoad opes vel fortunas.

66. Quemque sollicitudo capiat pro suis commodis salvo alterius jure, & pro bonis suis tuendis.

Hinc

67. Rebus possessis sic prospicere oportet, ne istæ aliquid detrimenti patiantur.

68. Hujus remedia sunt, non tantum munire, obsepere, circumvallare, custodire, vigilare per se aut per alium. Sed & abesse a profusione, luxuria. &c.

69. Nec tantum servari, verum & augeri, certe ornari, neque in pejorem statum eas dejici, circumspicere in officio est.

70. Tantum autem sibi quisque opum comparet, quantum ad necessitatem, imo & ad liberalitatem satis est, & quoad sine alterius damno possit locupletari. Hinc

71. Præoccupare e re est illa, quæ sunt nullius, qua in acquisitione sibi quisque proximus existit.

72. Genus vitæ honestum eligatur, modusque

que lucrandi pro indole cujusque pro ingenii viribus, pro conditione familiarum, fortunæ, status, pro rerum præsentium occasione vel etiam necessitate, ex prudentum etiam consilio.

## CAPUT VI.

DE

### DEFENSIONE SUI.

§. I.

**D**efensio sui est officium, hominem ad vitam suam, & quod vitæ æquiparari videtur, defendendum a natura obligans.

§. 2. Nascitur hæc obligatio ex hominis dignitate, quæ ex eo apparet, quod Deus homini jus dedit conservandi corpus instructum donis singularibus præ brutis, animæque imprimis receptaculum nec non instinctum in sevit naturæ humanæ pro se, & vita sua; pro sua existimatione suis juribus conservandis incitatisimum, cum rectæ rationis dictamine. Hinc

1. Hominis est servare corpus, non perdere.

2. Nemo suorum membrorum est Dominus.

3. Vitam defendere ad versus aggressorem iniustum necesse est.

G 4

4. In-

4. Invasus homicida nihil, quod ipsum excuset, allegare potest. Quocirca hujus loci est

5. Moderamen inculpatæ tutelæ, cujus notentur axiomata.

Prius remedia tutiora sunt tentanda.

Perferenda injuria levior.

Justa opponenda tempestive h. e. defensio illis fiat subsidiis, quæ jus naturæ permittit, imo in manus dat, quo suum corpus ac vitam tueatur. In quo quidem non æqualia requiruntur arma, sed satis est letalibus letalia opponi.

Ob concomitantem animi perturbationem fugiatur excessus; qui tamen in ipsa defensione sui quodam modo excusationem invenit.

Discernatur status naturalis a statu civili; in illo enim plus licet, in hoc minus.

Non solum ipsius injuriæ, sed & temporis a quo, habeatur ratio, ne alter præmature occupetur.

6. Ubi liquido constat indicis manifestis, alterum in eo esse, ut vitæ nostræ vim inferat, aut etiam bonis nostris irreparabilibus, neq; spes ulla vel occasio elabendi aut damni reparandi appareat, licet nondum ad rem ventum sit, neque conatus in nervum eruperint: tunc est tempus legitimum violentam sui defensionem suscipere.

7. Et in statu quidem naturali etiam minima injuria repelli potest & debet violenter, etiam

etiam cum aggressoris nece, si aliter injuriam non datur evadere, sive is per errorem, sive insania, sive infomniis, agitatus invaserit alterum.

8. Si tamen ante vim illatam eum pœnituerit facti expediendi, & alteri cautionem de securitate futura præstiterit, par est eum in gratiam recipere.

9. Neque a defensore ulla committitur injuria, utpote qui agit jure suo; & invasor sibi imputet, quod defendenti se hanc necessitatem imposuerit.

10. Neque defensoris jus inhibetur aut aggreddentis meritis, aut dignitate humana, aut cura socialitatis, quæ sic defendendo videtur tolli, aut metus turbarum ex defensione oriturarum.

11. Sic igitur talis defensio, ut species homicidii casualis, etiam cum invadentis internectione, in foro dat impunitatem; & in conscientia immunitatem.

12. Invadens injuste in civitate poenæ ordinariæ homicidio statutæ subjacet.

13. Nec obstat jus divinum: non occides. Nam eodem jure divino, vim vi, arma armis, fas est repellere. Et præceptum non occides, vim suam, ex eo amittit, quia vitæ corporisq; mei rationem habere me oportet, & egomet mihi sum proximus, charitasque ordinata a se ipsa incipit.

14. Etiam personæ intervenientes & impediētes defensionem meam, licite hic

( dum ufurpamus moderamen inculpatæ tutelæ ) occiduntur. Etenim lex charitatis ad virtutem pertinent, me non obligat ad id, quod in potestate mea non est, fcilicet ut ego defenfione mei abftineam.

15. Si quis autem cafu intervenerit, nec impediens nec affiftens: is, ut innocens, occidi non potest; cum nulla culpa occifi occifionem provocaverit.

16. Quod fi invadendus poffit effugere, neque putaverit, fe fe aliter, quam per defenfionem fui impetuofam, non potuiffe evadere, tunc cædes facta ( in civitate ) non manet impunita. Nam circa modum exceffit.

17. Si tamen inter moderamen iuftum tertius obvenerit, & gladius forte in ejus caput aberraverit, pro calamitate accipiat læfus, & præter intentionem lædens non tenetur præftare cafum fortuitum.

18. Peccat invafus, occidi malens, quam occidere.

19. Si tamen ab invafore fummum munus habente interfici fe patiat, excufandus videtur.

20. Si fummum imperium concurrat cum minore e. g. miles a patre hofti inferviente invadatur, & licita, & cum obligatione conjuncta eft defenfio violenta.

21. Internecio aggrefforis quoque valet ut licita, qui imperium quidem fed non in eum, quem aggreffitur, habet, isque jure defenditur.

22. Ex

22. Ex metu crescentis potentia: alterum non licet invadere.

23. Male in me animatum preoccupando non licet prosternere, nisi de ejus animo admodum malo adversus me satis constet, nec aliter vitæ periculum averti queat.

24. Non placet eorum rigor, qui omnem innocentem interfici posse arbitrantur, ob vitæ suæ pericula amolienda.

25. Non animus lædendi, sed læsionis aversio in defensore spectatur ex eaque causa etiam per errorem invadentem occidere licet.

26. Invasor gaudet beneficio defensionis, si invasus poenitentia ipsius & cautione præstita, nolit acquiescere.

27. In statu civili vitam duntaxat, defendere fas est, aut bonum aliud, quod reparari nequit; siquidem in reliquis per judicem sperari potest reparatio injuriæ.

28. In eodem statu tunc demum defensio incipit, cum aggressor jam intra illum locum extiterit, ex quo reapse potest nocere.

29. Hactenus pro defensione vitæ. Pro defensione membrorum, ne hæc mutilentur, graviterve lædantur, alterum aggredientem in hoc licet occidere. Potest enim vulnerationem insequi mors, potest mutilatio turpis esse, possunt membra nobiliora corrumpi.

30. Pudicitia violenter eripienda cum raptoris

ptoris exde potest defendi, crepta vero jam non potest.

31. Etiam, alapa inflicta jure stricto sic vindicari potest. Sed tutius atque consultius est, fugere ad alapam declinandam, & a iudice sibi reparationem famæ læsæ procurare.

32. Quanquam mens generosa rem suam malit amittere, quam alterius extinguere lucem vitæ; tamen si res magni pretii rapienda sit, quæque alia ratione recuperari non possit, neque fur in iudicium adduci queat, vel acclamari, aut apprehendi (unde jus Hebræum & civile nocturnum furem a diurno distinguit) defensio rerum usque ad auferentis necem, jure stricto, non habetur illicita.

33. Neque urgenda hic proportio inter vitam hominis & bona, quæ sane in tali casu nulla sit. Nam ad legem & publicam tranquillitatem, securitatemque utroque oculo hic respicere oportet, ut dubitatio discutatur.

34. Propter calumnias de se disseminatas alterum occidere nefas.

35. Ubi damnum in casu necessitatis datum refarciri non potest; illud pro parte calamitatis accipiatur.

36. Utrum Præfecto navis ignem pulveri pyrio immittere potius, quam hosti se dedere permissum sit, quæsitum memini. Solvit id Fournierus in Hydrographia, asserens, hoc proprie non idem esse, ac violentas manus

mus sibi inferre, aut se ipsum occidere; sed saltem mortis periculo evidenti se exponere, quod permissum sit, siquidem justa adfit, causa, quare id fiat. Itaque inter modos defendendi periculosos refert pulveris tormentarii incensionem.

37. Denique defensio sui ad jura quoque tuenda dirigitur, quæ tanta existit, ut ab altero etiam invito hominis jus, si notorium sit, vindicet. Unde

38. Nemo suum jus, de quo ipsi constat, omittere tenetur.

39. Si alter idem sibi constare dicat, prætendatque, ad arbitros controversia remittenda.

40. His non admissis, cæteris remediis deficientibus, arma sæpe sumuntur, ad rem decidendam.

41. Omnis autem naturalis defensio juris suscipi debet sine alterius infontis injuria.

42. Inde & hostis locum pacatum ad se defendendum occupare non potest neque defensionis necessitatem obtendere.

## CAPUT VII.

DE

## CULTURA SUI.

§. I.

**T**urpissimum foret, hominem suas doctas facultatesque inculta fordescere velle;



velle; quia obligatur tum sua, tum aliorum causa, etiam civium, quibus se aliquando associaturus sit, culturam sui amare, ac rebus humanis necessariam putare.

§. 2. Fateor autem in statu mere naturali culturam hanc minus diffusam, ut in civili, requiri. Unde illi panciora in normam naturalem suffecerint, e. g.

Quoad intellectum

Homo nihil sine eo agat,

Et quoties aliquid molitur, deliberato id suscipiat, perficiatque animo, ut eo felicius, prudentia comite, viam rei efficiendæ inveniat.

Non sterile sciat aut socordiae permittatur vis intelligendi, sed ea convertatur, quæ scitu dignissima, utilia, necessaria.

A corruptionibus etiam, quas perversi affectus in homine aut scelerate facta inducunt, intelligendi potestas semper libera maneat.

Ultra captum humanum quæ sunt, ea si sapias, ne scrutando quæsieris.

Quoad voluntatem.

Homo prælucentem sequatur intellectum.

Quin voluntas cum intellectu præ sit actionibus, averteturque malum, judice intellectu appetatque bonum, eodem præmonstrante bonitatem rei.

Quod Deo & naturæ & sanæ rationi repugnat, id nunquam velit homo ratione sanæ præditus.

Quoad

Quoad rationem.

Homo obsequatur rationi sanæ in omnibus, ne absurdus aut ineptus evadat. Quo nomine studeat culturæ rationis, erroresque & præconceptras opiniones deponat.

Ad cavillationes, fraudem & perniciem ratione non abutatur.

Neque ejus vim suffocet ebrietate, gulositate, iræ vehementia, libidinis æstu, odii amarulenti veneno.

Naturalem rationem, si leges desint, pro lege agnoscat & sequatur.

Quoad Judicium.

Homo sui judex sit, & de aliis cum judicat, recte judicet, & ex aliorum mente.

Quoad corpus.

Nuditas hominis & egestas levatur ingenio ad vitæ subsidia quærenda apto, societate hominum, commoditate locorum & rerum, arte, opificio, opera, labore.

Corpus animo serviat, animique arbitrio in omnibus subjiciatur.

Neque graviora corpori imponat, quam iis ferendis par existit.

Nec inedia, aut nimis jejuniis vires frangat.

Attamen cum pene omnes homines hodie in civitatibus vivant: certe iis, qui ingeniis altioribus sunt nati, consultationem sequentem pro expoliendo homine commodam futuram arbitror.

S. 3. Cul

§. Cultura sui est officium hominem ad excolendum animum corpusque: a natura obligans.

§. 4. Cultura animi semper præferenda culturæ corporis, quo nobiliora tenet animus, quam corpus, quoque major hominis dignatio, quæ ab animi, quam quæ à corporis dotibus proficiscitur, indeque ad se & alios juvandos via patientior ostenditur.

§. 5. Animus excolitur cultura intellectus, i. e. facultatis intelligendi, judicandi, ratiocinandi; cultura voluntatis partim moderatis affectibus, tanquam virtutis impedimentis, vitiorumque nutrimentis, partim implantatis virtutibus, partim eradicatis vitiis. Hinc

1. Vacare debet animus omni præjudicio, quacunquē ex causa nos occupante, sive consuetudine, sive institutione, sive affectibus, sive ignoratione.

2. Adjiciatur animus, non tantum ad res, quæ sub manibus vel ante oculos sunt, omnes, sed & ad partem sapientiæ, aut ad artes ac disciplinas, quarum campi illustriores Philologia, Philosophia, Facultates ita dictæ superiores, quibus accedunt artes liberales & illiberales.

Itaque,

Quoad Philologiam,

3. Cognoscantur linguæ, disciplinæ, quæ circa sermones occupantur, Antiquitates, Historia,

Quoad

Quoad Philosophiam,

4. Disciplinae ad contemplandum vel ad agendum proxime ducentes discantur.

Quoad Facultates,

5. Rerum divinarum, legum omnium, corporis curandi rationes percipiantur.

Quoad Artes,

6. Liberales & illiberales, pro scopo cujusque perlustrentur. Etiam si literatus sit, tamen cognoscere potest, etiam si non velit aut possit exercere.

7. Hujus loci est doctrina de via discendum salubri, quae his praecipuis monitis contineri videtur. Is nempe, qui disciturus est;

Dei opem precibus cum vita integra, sibi impetret.

Doctorem legat doctum & fidelem.

Lectum amet cum fiducia, interroget, in bonis rebus imitetur.

Libros necessarios habeat in promptu.

Suntus ferat, locumque ac tempus studiorum ordinet.

Attendat pro virili, ubi vel percipiendum, vel meditandum, vel repetendum, vel retinendum.

Ad incrementa majora adipiscenda colat diligentiam, temperantiam, animi tranquillitatem, serenum curisque vacuum animum; his addat disciplinam rationis magistratam, Logicam accuratam, eamque praesentibus solerter accommodet.

H 8. De

8. De intellectis ut judicetur probe.

Lecta vel audita examinandā.

Vtilia, insignia, laudanda, notanda.

In examine ne tuo potius iudicio stes nondum subacto, quam alieno jam subacto, donec per te altiorum fias capax.

Eadem cum peritis comunicanda.

Quod doctrina perceptum, ad normam, ejusque propriam expendatur.

9. Ut ratiocinando intellectus excolatur,  
Discens

Argumentandi vim assequatur necessariam aut contingentem, adhibitis argumentationum artibus.

Res cum rebus inter se componat, vel etiam si dissentaneæ sint, a se invicem divellat.

Ex datis neciat conclusiones per Enthymemata.

10. Ut cultura voluntatis & tranquillitatis mentis in homine juvetur,

Affectus

In genere

Quantumcunque vehementes, ratione directrice & prudentia ita attemperentur, ut virtutibus non obsint, sed potius profint.

Per se mali, ut irvidia, primis in feminibus suffocentur & coercantur.

Per se boni, ut voluptas animi ex virtute, misericordia, foveantur ut virtutis fomites.

Indifferentes, ut amor, gaudium, revocentur ad mediocritatem.

In specie

In.

Invidia alienam felicitatem ægre ferens,  
pellatur animo.

Gaudium ex malis ortum peræque.

Nec non irrisio ex malo alteri subito ac-  
cidente.

Contra commiseratio, quæ amore duce  
alienam miseriam intuetur cum dolore, in si-  
nu foveatur, tanquam generosæ mentis so-  
boles.

Sic voluptas animi ex possessione virtutis  
resultans; Sic verecundia, virtutis color, re-  
tineatur.

Porro admiratio cesset, nisi in re oppido  
rara insolitaque.

Amor temperetur, & ut Augustinus vult,  
ordinata habeatur dilectio, ne aut diligatur,  
quod non est diligendum: aut non diligatur,  
quod est diligendum: aut amplius diligatur,  
quod minus est diligendum, aut æque diliga-  
tur, quod vel minus vel amplius diligendum:  
aut minus vel amplius, quod æque diligen-  
dum.

Odium adversus vitia, non homines diri-  
gatur.

Cupiditas in bona, non mala inflammetur.

Curiositas, studiorum alumna, ad sapien-  
tiam traducatur, non ad vanitatem.

Vindictæ ardor, officii causa, non refugia-  
tur; reliqua privatis a commodis profecta  
projiciatur.

Lætitia promatur non vana, non ludicra,  
non turpis, non alieno loco & tempore.

Nisi pietas, morum probitas, decorum & officia humanitatis postulent tristitiam, ab ea cohibeatur animus.

Poenitentia naturalis in admittis malis admittatur & ostendatur coram aliis.

Metus non concipiatur ob mala imminentia, quæ incertum est eventura esse, neque animo præcipiantur eventura probabili conjectura, nisi prudenter ea declinari possint.

Spem in rebus vanis aut incertis ponere inane putetur.

Caveat sibi quisque a securitate nimia, nimiaque sui fiducia.

Zelotypia ob malum aliquod aut bonum apparens suscepta fugiatur.

Audacia probatur non temeraria, sed prudentia temperata.

Conscientia ne mordeatur, sapientum ac peritorum consiliis utendum est.

Ira excandescens reprimatur, amarulenta procul sit, puniens moderetur.

Indignationi locus relinquatur ob virtutis auctoritatem; non ob levem injuriam.

Malorum desiderium damnetur, bonorum amissorum vel absentium moderate approbetur.

II. Ut animi cultura in virtute posita ametur & exerceatur.

Ametur & exerceatur temperantia, fortitudo, liberalitas, modestia, mansuetudo, magnitudo animi, prudentia.

Temperantia, voluptatis immodicæ moderate.

deratrix, mater abſtinentiæ ſeu frugalitatis in cibo capiendò modum tenentis, ſobrietatis, potus meſuram dirigentis; caſtitatis, veneris delicias non admirantis, purum ſervare oculum animumque docentis; continentiæ, impetus ad voluptatem præcipites coercentis; imò quæ licitam quoque libertatem fruendi reformidans, adjunctas merito ſibi habet comites ordinem, munditiem, pudorem, verecundiam.

Fortitudo, non ut honores obtineamus inter cives, aut iracundia incenſi in hoſtem ruamus, aut noſtræ experienciæ fidamus, aut tantum, ut victoria & præda potiàmur, cœcove impetu feramur, ſed ut terribilia & periculofa, ipſam quin etiam mortem contemnendo pugnemus pro bono publico, pro religione, libertate. Hæc virtus mortis metum eicit animo, hujus in adverſis eadem frons eadem mortem vitæ turpi anteponit, neque tamen ſine cauſa gravi appetitur. Hujus fomites nobiliſſimi ſunt generoſa mens, audens animi robur, induſtria, tolerantia.

Liberalitas, quæ in res honeſtas prompta manu erogat pecuniam, & ubi uſus eſt, ſumptus fert, alienæ indigentæ ſubveniens, neque amans accipere, unde non decebat. Sorores hujus morum facilitas, comitas, humanitas, ad miſerandum, ad diligendum, ad hoſpites comiter excipiendos, propenſio ad



res pulchras in vestitu ac domo sua, ad copiam rerum. . . Quare huic associatur beneficentia, cuivis ad bene faciendum importuna, hospitalitas, peregrinos & hospites benigne & studiose amplexa; parsimonia, res proprias custodiens, exclusis sumptibus non necessariis; animus sua sorte contentus, bonisque presentibus acquiescens, sine desiderio anxio rerum acquirendarum.

Modestia, neque verbis neque gestibus aut studio contemnens alios, se suo pede metiens, modice expetens honores, homines claros observans, famam simul defendens suam, retrusis calumniis.

Manſuetudo, moderate ferens criminationes, contemptus; culumbras, litis igniculos, ne ignescant, cœercet, & suavem, mitem motibus, animo tranquillo beatam reddit, nisi officium iram aut indignationem flagitet.

Magnitudo animi in utraque fortuna præfens, ignominiam, honorem, luxum, clientellam, potentiam, victoriam partam majestate quadam ponderans, altaque indole, nec magnum ducit vivere, nec miserum mori, injuriam non vindicat, sed accipit. Quidam simplicitatem ei & veritatem ad latus adjungunt

Prudentia comparans, quia totam vitam gubernat ea, quæ faciunt ad felicitatem, consultans de futuris, discernens expetenda & fugienda, momenta temporum librans, honeste utens muneribus Fortune, dicta, facta  
ante

ante trutinans; rationes utilium usu & observatione comprehendit. Huic assunt ad ministræ memoria, experientia, solertia, consilium. Hæc prudentia, prælucente intellectu, tum futuras, tum præteritas hominis actiones dirigit; illas tempestive & præmissa consultatione suscipiendo, ne occasio rerum gerendarum pereat; aut post factum sero sapiant Phryges; has ad lancem conscientiz appendendo. Hinc quoad consultationes,

Nihil suscipiat homo prudens, quod non sit in sua potestate, vel supra vires suas.

Neque permittat alex rem sui consilii.

Neque per metum neque per voluptatem destinatum semel bene consilium deserat.

Neque securitas eum in præsentibus, neque curiositas nimia in futuris, neque in secundis insolentia, neque in adversis timiditas animi aut desperatio in breviam arripiat.

Vt maturis annis honestum vitæ genus amplectatur,

Ut literis utilibus, & elegantibus operam det, easque ad usum vitæ humanæ attemperet, curas intendit.

Quoad examina factorum suorum,

Amplissimum recte factorum theatrum credat esse conscientiam; Indeque.

Normam ejus semper præ oculis habeat.

Vulneratam conscientiam sanet,

Rectamque potius, quam probabilem, &

probabilem potius, quam dubiam, vel scrupulosam habere præoptet.

Cum in dubio est animus, nihil agat, antequam discussa sit dubitatio.

Errori succurrat sapientum consiliis atque doctrina.

12. Virtutibus ita observatis, vitiorum stolones per se amputantur, e. g.:

Luxuries, & gula, indecensque venus, ritus lascivi, sales inficeti, facetiæ minus verecundæ, petulantia morum, verborum obscœnitas, & satellites ejus, confusio, impudentia, invenustas, incuria, negligentia, dissolutio animi, incontinentia, æstuans desiderium.

Timiditas metu vel umbra mali perculsa, præsertim cum mors aut quævis noxa corpori terrorem injicit, vitam pacisci in periculo malens, quam pulchre occumbere.

Mollitia, ignavia, amor immoderatus rerum, præcipue diversi sexus.

Avaritia, lucra anhelans turpiter, pudoremque post nummos habens, tenacitasque rebus honestis sumtum negans, parsimoniæ minutæ, morositatis, angustiae animi; humilitatis sordidæ, rusticitatis, inhumanitatisque turpitude.

Profusio, maleficientia, inhospitalis Caucasus, animus sua sorte non contentus.

Pufillanimitas, quæ honore infletur, secunda fortuna superbiat, levi ignominia prosternatur, repulsam nullam sustineat absque sensu

sensu calamitatis, neglectum sui censeat esse ignominiam vel injuriam. Ejusque pedisequæ, rerum minutarum æstimatio, querimonia, diffidentia, vilitas.

Invidia bene meritorum virtutes famamque lividis introspeciens oculis & claritudini eorum, sugillando vel tacendo, aliquid florenti subtrahi gavisâ.

Iracundia etiam minimæ despicientiæ sui & imminutionis impatiens, spirans vindictam ferociamque & vel quovis verbulo factove inardescens. Ei assidentia monstra, præceps animi concitatio, mutabilitas, acerbitas, trepidus in pusillis dolor.

Sultitia, quæ inepte de rebus judicat & male consulit, quæ male cum hominibus versatur, & male præsentis fortuna utitur. Item, imperitia, inscitiâ, insulsus sensus, ineptia, obliquo, consultationis & explorationis negligentia.

13. Cultura corporis ad corporis perfectionem tendit, quoad ejus fieri potest.

Hinc exerceri possunt artes huc pertinentes.

Roborandi corporis, ut pugillatoria, luctatoria.

Movendi corporis, ut cursoria, jaculatoria.

Comendi corporis, ut emunctoria.

Ad acuendos sensus corroborandosque aptæ.

Claudat hanc meditationem Stoekelii meditatio de animi pravīs facinoribus cohortentis angustia.

Animi, inquit ille, pacata æquabilitas inde alicui nascitur, quia ipse vitam bene egerit præteritam, in præsentī nihil avare, nihil injuste, nihil libidinosè, nihil impie, nihil incontinenter committat, qui, ne sibi conscientia bona a DEO accepta avellatur, absque ullius metu optima consulere & facere cogitet, cum summa honestatis observatione vivere & mori studeat, recta voluntate actiones suscipiat civiles, liberaliter prompteque publicam utilitatem adjuvet, nulli pestem & exilium paret, jus humanæ societatis nullo facinore violet, ad justitiam sic se naturæ opinione, neque ea fallaci, trahatur, ut nihil sibi de alieno assumat, aut amplis spoliis, opimisque prædis, divitiarum abundantiam comparet, rerum usum virtute moderetur, hanc solam amplectatur, noceat nemini, rebus luculentis affluens, nihil amplius desideret contra rempublicam & fidem nihil indignius agat.

## CAP. UT VII.

DE

## RERUM DOMINIO.

§. I.

**D**ominium est jus homini a natura concessum, re propria pro lubitu utendi.

I. Do-

**I. Dōminium est jus. E.**

1. Facultatem cuique dat agendi in rebus & actionibus suis.

2. Dominus solus suis rebus fructum potest capere.

3. In easque sibi jus esse, præ se ferre.

4. Easque sibi soli competere, neque cum aliis communes esse, potest defendere.

5. Alii autem idem jus in rem non habent, quæ alterius est propria.

6. Quæ sunt in potestate hominis circa res dominio subjectas vel subjiciendas, ea cadunt sub dominium hominis.

7. Quæ in hominis facultate esse non possunt, ea domini sunt expertia, ut illa omnia habentur, quæ natura sua nec possunt apprehendi, nec custodiri, sed cunctis mortalium præbent usum. Quæ propter

8. Res usus inexhausti, ut lumen solis, aer, aqua profluens, carent dominio humano.

**II. Dominium est concessum homini. Hinc**

1. Universo generi humano hoc jus competit, non uni, aut alteri, aut etiam pluribus; quod non minimum dignationis humanæ argumentum.

2. Abundantia hominum, & copia rerum in tanto hominum numero accisa, sine dubio accelerarunt rerum dominia.

3. Singuli possunt occupare id, quod nullius est, neque quisquam citra injuriam ab hac facultate excluditur.

4. Sic

4. Sic res nullius cedunt primum occupanti.

5. Dominiâ rerum etiam furiosis & infantibus jure naturæ competunt.

6. Utque aliquis hanc facultatem plene exerceat, ejusque particeps fiat; necesse est, declaret intentionem suam, quod hanc rem sibi in possessionem suam, vindicaverit. Ideoque.

7. Ejusmodi deficiente vindicatione, possessio est irrita.

8. Infantes per se nihil possidere possunt orriginaliter, ut ut possidendi, facultas naturalis, ut diximus, eis minime deneganda sit.

9. Nec in possessorum veniunt censum administri rei alienæ, usufructuarii, rerum procuratores.

10. Si rem immobilem possessurus adii, tantum judicatur meum esse, quantum mihi sufficit, quantumque ego viribus meis valeo defendere, vel etiam quantum rei integritas permittit.

11. Signa dominiî erigere sæpius consultum putatur.

12. Duo ejusdem rei domini in solidum esse non possunt.

13. Pluribus una occupantibus, res occupata divisioni subjiciatur, aut dominium commune maneat.

Sique oriatur contentio, divisio in partes æquales, vel in capita, vel in familias, litem dirimat.

15. Best-

15. Bestiam, pisces, aves vulnerans prior vulneratam capit prædam, licet alter apprehenderit prior.

16. Nec tamen ea licentia homini dominantibus rebus suis facultas concessa asseritur, quasi unus quisque res omnes sibi rapere posset, tanquam omnes essent ipsius; quod asserere frustraneum foret, & talis eo pacto humanam societatem tolleret, inducturus pariter cædes, rapinas, atque atrocina in homines. Quare

17. Jus omnium in omnia hoc sensu admitti potest, quatenus illud jus hominibus singulis, vel conjunctim omnibus æqualiter concessum intelligitur.

III. Dominium, de quo loquimur, concessum est a natura, hoc est, Autor naturæ DEUS homini omnia occupandi facultatem dedit, liberamque occupandi voluntatem. Et hæc est rerum communio. Igitur

1. Non a solo hominum instituto repetendum erit dominium. Nam natura ipsa hominis, Deo sic jubente, dominio fundamentum suppeditat. E.

2. Ex ipso homine tam nobili, atque ad dominium orbis occupandum apto, ex jure illi a natura concesso demonstratur dominium. Siquidem Creator Opt. Max. hanc terram opulentissimam & spatiosissimam soli homini, in usum fruendi, utendi, idque vel ad necessitatem, vel ad utilitatem, vel ad jucunditatem indulgit. Unde 2. Quæ



3. Quæ in terra sunt, quæ ex terra nascuntur, quæ in aëre, quæ in mari, in aquis quibuscunque, imo & in coelo offenduntur, humano parent usui.

4. Homini inserviunt animalia, plantæ, metalla; in regno triplici naturæ, animali, vegetabili, minerali, conducuntque ad usum, sanitatem, delectationem, contemplationem, curiosam & admirationem.

5. Fructus terrarum quicumque a solo homine in usum (non vero ab usum) possunt converti, cum quidam saltem brutis proficiat.

6. Mare quoque immensum, ut videtur, tamen ab homine occupari, i. e. in potestate ejus sic constitui potest, ut alii inde arceantur. Quemadmodum hodie quædam potestates summæ actus possessorios exercent, quando reverentiam aliquam, signis externis expressam, deponunt a prætervehentibus imo & vectigalia.

7. Multo magis & pisces maris, & salis extractio occupationi subjacebunt.

8. Et usus fluminum erit occupabilis.

Hinc

9. Quilibet in aquis nondum occupatis potest piscari.

10. Inundatio non tollit rei inundatæ dominium, nisi fundus per inundationem penitus tollatur.

11. Male igitur a toto flumine occupatus ager, & relictus postea vicinis adjudicatur prædiis.

prædiis, cum, usu quantumvis & possessione  
abeunte, proprietas tamen ideo non abie-  
rit.

12. Mutato naturali fluminis cursu prior  
alveus redit ad vicinos dominos. Nam  
ejus usus, servitute sublata, cum proprietate  
consolidatur.

13. Insula in flumine nata, iisdem vicinis  
cedit pro rata. Est enim a servitute fluminis  
ferendi liberata.

14. Jura insularum & alveorum ad modos  
acquirendi dominii referuntur, quia nun-  
quam ademptum dominium fuit vicinis, sed  
salva proprietate, solus usus; qua sublata, usus  
proprietary iterum evaluit.

15. Singulis hominibus a natura indultum  
jus venationis.

16. Rebus nostris etiam comprehendun-  
tur partes integrales, quatenus cum toto in  
unum corpus coaluerunt, Itaque

17. Quod flumen nostro fundo alluit, pars  
fundi habetur, nisi ager certis finibus sit limi-  
tatus.

18. Rebus nostris ea comprehenduntur,  
quæ accedunt rei nostræ, ita quidem, ut hæc  
sine illis esse non possint.

Unde,

19. Purpura cedit vesti, fata cedunt solo,  
plantæ quoque simul ac radices egerunt, æ-  
dificia cedunt solo.

20. Excipe picturam, cui cedit tabula ar-  
tifici

tificii privilegio, cum alias pictura, (ut accessorium) cedere debuisset tabulæ.

21. Rebus nostris etiam continetur, quod ex illis nascitur, vel oritur. Unde

22. Foetus animalia, fructus & thesaurus fundum sequitur.

23. Vacua a possessoribus, sive moveri illa, sive non moveri queant, sive nondum a quoquam ante fuere occupata, sive jam ante occupata, sed vel a Domino derelicta, vel eo defuncto sine successore, careant; possessore (in quo exploratio diligens occupantis tranquillat animum) possunt occupari.

Hinc

24. Cunctæ res possessionis capaces triplicem quasi formam videntur recipere, a triplici, in quo constitutæ deprehenduntur, statu; quod quædam sint adhuc nullius (videlicet possessorem nondum expertæ) quædam jam in dominorum redactæ potestatem, adeoque in dominio nunc sunt; Quædam in communiōe certe negativa, quorum usus quidem omnibus patet; proprietates vero ad nullos pertinet.

25. Sic igitur ex jure concessivo Dei resultat facultas occupandi, & occupatio inde orta existit proprietatis ac dominii causa atque origo.

Indeque.

26. Merito eadem hæc facultas dicitur naturalis.

27. Re-

27. Rerum ac dominiorum communio positiva, ( qua res ab aliis propria tenetur, singulistamen propria non existit, usus autem omnibus permittitur in communi ) inter homines initio fuit nulla. Quapropter.

28. Communio primæva nonnullorum, acriter etiam defensa, ob defectum fidei historicæ, & ex dictis rationibus, rejicitur. ( Qui primævam asserunt bonorum communionem; illi negant dominium in statu naturali, neque, nisi ex conventionem, alicui jus competiisse ultra possessionem in res quascunq; duraturum. )

29. Recefferunt tamen postea ab occupatione, ad divisionem rerum conversi, quæ sine conventionem facta non concipitur. Unde

30. Modus acquirendi originarius partim ex occupationem, partim ex divisionem conventionem ortum traxit, cujus acquisitionem opera in rem sive mobilem sive immobilem accidit, hominibus, dominium in rem, sicuti est, vel etiam rei nostræ augmentum. Nimirum quisque sui studiosus, re adhuc communi, quam ipse suis actionibus non potuit plane acquirere, dividenda ea fuit, & tribuenda singulis rerum, & actionum jura, quo plana acquisitionem insequeretur.

31. An species accessionem artificialis, qualis cernitur in specificationem in ædificationem & confusione materiam, ut est, scriptura, pictura,

ra, ferruminatio, adplumbatio, implantatio, item jus ex re aliena percipiendi commoda, ut emphyteasis, jus superficiei, jus feudi, bonæ fidei possessio, servitus realis, usus fructus, usus, habitatio, operæ servorum, de quibus jus civile agit, etiam ad jus naturæ pertinent, disceptatur. Certum est, ista pleraque in statu naturali etiam accidere posse, & sæpe accidisse, ut ut jus civile eis modum fortassis in statu nat. non obvium ubique præscripserit.

Quare nollem improbare, si quis juris nat. interpret, quantum sana ratio suppeditet, de eisdem explicuerit.

32. Cæterum ad modos occupandi, quæ nullius sunt, refertur etiam rerum mobilium inventio, qua rem aliquam non saltem videmus, sed & occupamus, vel ut nostram tollimus.

33. Nec non hujus loci est occupatio illorum, quæ Dominus-abjecit, seu dereliquit. Ad quod derelinquendi animus & ipsum factum concurrant, necesse est.

Hinc

34. Merces naufragorum dominis suis debent restitui.

35. Etiam casu amissa non pro derelictis habentur, sed reddantur suo domino.

36. Quam in rem inventor publice inquirat illegitimum dominum.

37. Quo

37. Quo non apparente res inventa est inventoris vel in civitate, fisci.

38. Rem inventam occultans, se furti crimine commaculat.

39. Res inventa sit inventoris, si nemo post notificationem debitam, rei amissæ dominum se ferat.

40. Et tunc possessor bonæ fidei possessor merito habetur.

41. Inventam rem pauperibus dare virtutis est, non stricti juris.

IV. Dominium versatur in re propria. Hinc.

1. Proprium tenens alterum, ut ejusdem rei dominium affectantem, jure excludit; quod simplex dominium appellatur. Nisi per pactum peculiare aliquis sibi jus acquisiverit in rebus alterius. Exinde

2. Servitutes prodierunt personales & reales. Illæ præbent ex aliena re immediate ipsi personæ utilitatem, ut patet ex usu fructu, usurpatione rei alienæ, habitatione domus alienæ. Hæ ex re aliena utilitatem dant, interventu rei nostræ, ut cernitur in servitutibus prædiorum urbanorum, qualis prospectus, stillicidium, & in rusticorum, ut via, aquæ ductus, jus pascendi.

3. Potuit etiam a quibusdam sic disponi proprietas, ut unam certam rem non singuli per se, sed aliquot saltem conjunctim possiderent, exclusis aliis, in consortium hujus possessionis non venientibus.

Ita dominium commune emerfit.

4. Sive per nos fiat occupatio divisione sive per alium, qui nostra causa rem detinuit, non possedit; sive nostro, sive alieno instrumento, nihil refert.

5. Ad possessionem in rem tamen non solum naturalis facultas, neque solum tenendi animus, sed & rei apprehensio, vel consecutio requiritur. Unde

6. Possidendi facultas non tollitur per impedimentum temporarium, quod forte nobis objicitur, nisi recuperandi spes omnis frustra sit. Ideoque.

7. Feræ ex custodia nostra elapsæ non statim desinunt esse nostræ, quamdiu persecutio & recuperatio est facilis, nec interim alius eas posset præcipere.

8. Bruta extra hominum consuetudinem posita non fiunt nostra, nisi actu capta fuerint.

9. Apes, pavones, columbæ, quamdiu naturam mansuetam retinent, & revertuntur, jure mansuetorum nostræ manent; secus, si jure ferarum censentur.

10. Pisces in piscinis munitis detenti sunt nostri, sicut feræ in nostris vivariis.

11. At pisces in stagno & flumine, feræ in sylvis & fundo nostro, non sunt nostræ.

12. Ad modos acquirendi pertinet etiam, derivatio, qua dominium jam constitutum, ab uno homine derivatur, vel devolvitur in alium

lium, seu dispositione legis, seu facto prioris domini.

Quo referuntur Testamenta, successiones ab intestato, usucapio. Testamenta ex jure natur. originem non habent, quia jus ab uno in alterum; absque utriusque consensione transferri nequit.

Nec mortuus potest disponere de re sua: Utrumque defit in testamento. Successiones ab intestato fiunt in bona parentum &c. sine testata voluntate,

Usucapio ( quæ & ipsa non ex jure natur. oritur ) est rei a priori domino derelictæ interveniente bona fide, justoque titulo possessoris, post tempus idoneum.

13. Ex derivatione resultat per se traditio, tanquam peculiaris acquirendi modus.

Nam propter conventionem, quæ est juris naturæ, dominium quidem ante traditionem naturaliter potest transferri, sed non possessio seu usus domini, quia sine traditione non possumus naturaliter re frui, eamque usibus nostris adjungere; quippe cum per eam res nobis præsens & in nostra custodia constitutatur, & dominium hoc in ipso corpore fruendo consistit.

14. Traditio, aut fit solis verbis, sequente re tradita, verbis & re tradita pariter connexis aut sola re tradita; aut post antegressam rem traditam, verbis & signis.

**V. Dominium dat facultatem re utendi pro**



lubitu. Est enim illud disponendi genus plenissimum & efficacissimum. Quippe quilibet vi dominii sui suæ rei potest legem dare, & ex sua dispositione hac jus facere.

Hinc

1. Dominus legitimus in alium potest transferre dominium suum, sive ex toto, sive ex parte.

2. Translatio hæc alteri, cujus interest, aperte verbis signisve significari debet.

3. Vicissim accipientis voluntas declaretur oportet (nam actus voluntatis internus apud neutrum sufficit, neque apud transferentem neque accipientem,) nisi fors antegressa petito, & adhuc dum immutata, declarationem faciat inutilem.

4. Quilibet rem suam potest corrumpere, perdere, donare, vendere, deserere. In quo tamen ad id, quod juris, & quod virtutis est, attendere oportet.

5. Donationes mortis causa, quia fiunt inter vivos, & per conventionem utriusque partis viventis, ratæ sunt, firmoque stant talo.

6. Distinctiones dominii in plenum & minus plenum; in plenum absolute & cum dominio eminente conjunctum, & certo respectu, seu vulgare; in minus plenum utile, quod adjunctum jus habet re utendi, fruendi, & directum, citra hoc jus utendi partem  
tan-

tantum superiorem proprietatis completum, redolent indolem juris positivi.

7. Sæpe alter ex necessitate & natura prædii commoda præstare tenetur.

Hinc

8. Servitus naturalis oritur, quando prædium, ex necessitate naturæ, a prædio vicino aliquid pati & excipere cogitur. Ex quo

9. Ea simul juris & libertatis hominis in suas res quandam involvit privationem.

10. Idque non saltem inter privatos, sed & populos vicinos ac territoria, ut patet e.g. fluminis in territorium inferius a superiori decursu, qui a vicino ferendus, neque obstruendus est, nisi justam belli causam quis ferere velit.

II. Quanquam testandi potestas inter gentes usitata, e. jure nat. non fluat; tamen rebus occupatis in bona parentum succedunt liberi, in quo præsumtam voluntatem, eamque tacitam, ab aliis in hac materia allegari solitam, non repudio, quia æquitati naturali convenit, & amor naturali in suos, eaque præsumtio eo redit, defunctum, si testari voluisset ac potuisset, non alii potius, quam huic suum dominium voluisse relinquere. Unde,

12. Ex æquitate certe naturali, sanguine conjuncti præferuntur extraneis, ideoque.

13. Ordo succedendi talis consequitur.

1. Liberi genuini.

I 4

2. Na-

2. Naturales & spurii.
3. Liberorum legitimorum liberi & nepotes legitimi.
4. His deficientibus spurii liberi & nepotes.
5. Ubi deest stirpis propago, fratres atque sorores.
6. His defectis, reliqui nexi sanguine.
7. His quoque deficientibus, boni amici, tanquam ascititi sanguinis.
14. Ex jure gentium secundo ( non excluso civili in multis adhuc uberius de successione bonorum sanciente ) proficiscuntur sequentia.

Qui testamentum condit, possessionem sibi retinet jusque fruendi plenissimum, quandiu viventi placuerit & superstes fuerit testator.

Idem ultimæ voluntatis revocandæ potestatem habet, præcipue regulis prudentiæ suadentibus, ne turpiter aut avare ambienti hæreditatem ante sua prodigenti bonis adventitiis armetur in majorem insaniam. Cui refrenandæ etiam in constitutione testamenti præcaveri solet. Liberis ob facinora aliasve causas totum aut partem, quæ in hæreditate est, subtrahere licet.

Exhæredationes, usque ad legitimam, alimenta legitima comprehendentem, permittuntur.

Nihil vetat, quo minus virtutis, ætatis præ-

præstantiæ, meritorum, quæ sunt in liberis, ultima disposituris ratio habeatur.

Inprimis si salus patriæ officiosum testamentum Principis requirat, regni que divisio malis auspiciis tentari videatur.

Quod ad lineas familiarum attinet, primogeniti præponuntur secundo-genitis, & sic porro.

Etenim jus primo-genituræ apud gentes & familias plerasque invaluit, & fortis cujusdam naturalis naturam induit. Reliquis tamen liberis nihilominus provideantur necessaria, non modo ad vitæ sustentationem, verum etiam ad splendorem conservandum familiæ. Ex hoc fonte scaturiunt Æpanagiorum consuetudines; si quis, vitam positurus, indicia voluntatis suæ extare voluit, nulla; is se legibus aut mori patrio voluisse subicere censetur.

15. Jus venandi relictum fuit Principibus ob recreationem, & quia prudentiæ non videtur absimile, captura ferarum culinam Principis instructiorem reddere, & umbra-cula quædam belli, qualia venationes sunt, eî permittere, qui belli gerendi potestate coruscat. Unde Principes in feras in naturæ libertate vagantes, non acquisivere dominium, sed jus tantum eas per occupationem suas faciendi, sibi vindicarunt. Idcirco.

16. Feræ apprehensæ ab illegitimo captore possunt vindicari.

15

17. Feram

17. Feram capiens contra interdictum publicum, non sibi, sed Principi cepisse, iudicatur.

18. Ad capturam ferarum visio sola aut occupandi studium haud sufficit.

19. Venationes prohibitas exercens, gravi poenæ fit obnoxius.

## CAPUT. IX.

DE

# BENEVOLENTIA HOMINIS NATURALI.

§. I.

**B**enevolentia naturalis est officium hominem naturaliter obligans ad benignitatem.

§. 2. Et quidem benignitas hæc a dignitatis humanæ æstimatione excitata, in sensu tam negativo, quam positivo accipitur; neque solum neminem lædere sive directe, sive indirecte, sed & cuius officia humanitatis amorisque præstare: non solum bene cupere (quantum ad animum), sed & bene facere (quod ad operam) docet.

I. Neminem directe lædit benevolentia.

Hinc

i. Prohibetur jure natur. omnis noxa alteri  
in.

inferenda, omnis læsio in corpore, in bonis fortunæ, etiam in fama. Unde

2. Cædes verberatio, vulneratio, furtum, rapina, latrocinium, fraus, violentia, vel per se, vel per alium, a solo, vel cum sociis aliis, a causa principe, vel ministrante, adhibita; ita calumniæ & mendacia de altero disseminata, & quæcunque ex nostro facta consequantur, aut consequi possunt in alterius detrimentum, etiam intercepti fructus, benevolentia huic, de qua loquimur, repugnant. Quare

3. Talia in alterum non perpetrare, specimen quoddam, idque vel præcipuum benevolentia in sensu negantem est.

II. Neminem indirecte lædit benevolentia, Quam ob rem.

1. Huc pertinet rejectio adjumentorum, quibus alteri succurritur, e. g. si qua controversia oboriatur in statu naturali, eam absque decisione jacere pati, & neque compositionem mutuam neque arbitros interpone-re. Item, nullum jus adversus alterum bel-luarum more, usurpare, resque sola vi gere-re, adeoque cum inimicissimis bellum omni-um in omnes inducere. Utrinque enim dis-ceptatio pacata benevolentia adjumenta ad-vocaret; quod contra fit in disceptationis omi-ssione. Item, in gratiam aliorum aliquid nolle addiscere, animamque potius pro sole habere.

habere, ne putrescat; Nec non bene merentibus de patria invidere.

2. Huc quoque trahas, alteri subsidia non subtrahere, quibus ipsius salus & incolumitas promoveatur. Hinc

3. Quorum nobis est copia, ea non perdamus, neque corrumpamus, bene autem alienis usibus atque inopiæ relinquamus, aut pro rei conditione, etiam accedentium oculis exponamus.

4. Fontes obturare, unde sitim tuam restinxeris, detestanda malignitas est.

5. Mercurios viales, aliosque itinerum indices dejicere, avellere, & vias hoc pacto impeditas reddere, castiganda est insania.

6. Summe egenti stipem denegare, improba animi durities est.

7. Hospites tecto suo excludere, in adversas nihil beneficii conferre, præsertim a fortuna offensos, deformis valde sit tenacitas.

III. Officia humanitatis & amoris cuius præstat benevolentia, Parum enim putatur, abstinuisse malo, alterique nihil nocimenti intulisse; nulla laus est, cum dicitur de aliquo: non est improbus, nisi etiam bona contulerit in alterum. Quare

1. Benevolentia naturalis, quam hominis dignitas exigit, imo rectius rem secum reputanti extorquet, etiam humanitatis officia expromit, præcipiens, ut quilibet alterius utilitatem, quantum commode possit, promo-

moveat. Quam in rem sequentia obser-  
ventur.

2. Ita dilige alterum, ne te odio prosequi videaris ( quod est, cogita, te æque hominem esse, ut illum ) in quo non religionem, non rationem aut aliud impedimentum respicias.

3. Dignissimus humanitate is est, qui plurimum de aliis mereri laborat, quem non semper jus adstringat, sed virtus inflammet, qui- que multo latius regulam officiorum, quam juris, & quæ intra tabulas publicas sunt, inter-pretatur. Estque ingenii liberalis animique magni, benignitatis rivulos in commune bo- num promanare facere ; præsertim acceden- te prudentia, fronte hilari, facundia oris, be- nevolentia non male calenti in nobis te- stibus.

4. Eo autem promptius in usus aliorum conferamus opem nostram, si ea nobis una sit commodo futura, ut receptio peregrino- rum in hospitium, in civitatem nostram.

5. At quæ nec commodum, nec incommo- dum nobis afferunt, communicanda bona, si- ne damno communicentur. Quæ & com- modum & incommodum faciunt, ea ita com- municentur, ne nos majori incommodo fal- lamur. Quæ vero incommodum, non com- modum habent, illa cautionem requirunt de non lædendo, ne aliis exhibita commoda no- bis fraudi sint aut detrimento.

6. Quod



6. Quod attinet ad res innoxia utilitatis quæ alteri profunt, nobis non obsunt, e. g. interprete Tullio, comiter erranti viam monstrare, pati ignem ab igne capere, consilium fidele deliberanti dare; non prohibere aquas profluentes, ea præstitisse aliis vel in delitiis ponamus.

7. Benevolentia hæc benefica mutuam gignit benevolentiam in accipiente, præcipue cui non vulgaris, sed singularis prorsus accidit, & beneficium peculiari sensu appellari potest, cum eam generosa mens, vel affectus tenerior, vel commiseratio pia dantis, expressit opera aut impensa sua, ut alterius necessitati succurrendo, ejus indigentia confuleretur. Unde

8. Beneficio maectatus occasionem paria reponendi quærat, aut etiam ampliora.

9. Si desit occasio, animum respondendi officiis paratum ostendat.

10. Ingratus se percepto beneficio indignum facit, quod degenerem valde animum declarat.

11. Fædius ingrati nomen, quam injusti propterea putatur, quod benignitate adjunctus, non eum humanitatis sensum præ se ferre videtur, quem bruta tanquam admirant, quæ beneficiis mulcentur.

12. Etiam si amor largitate se effundens omni homini, quantum potest, debetur, tamen ipsius naturæ ordo nunc laxius, nunc  
arcti-

arctius adstringit mortales. Ex eo emergunt  
juris natur. placita.

Charitas ordinata incipit a se ipsa.

Uxor velut una caro cum marito suo col-  
ligata est vinculo arctissimo.

Liberi sunt corporis paterni maternique  
portiones.

Cognatorum propior nexûs, quam alie-  
norum.

13. Amori pugnat odium, inimicitia, invi-  
dia, prava æmulatio, vis injusta, dolus, falla-  
cia.

14. Stude paci, tranquillitati, concordia  
cum omnibus. Hæc enim pax universalis  
& naturalis dignitatem humanam redolet.

15. Si tamen propriæ salutis cura ob inju-  
riam illatam pacem jubeat abrumpere non  
ante quiescat defensor sui, quam sub alis au-  
reæ pacis, a se postliminio redustæ. Hinc

16. De jure suo potius decedat, quam be-  
nevolentiam pacis genetricem amittat.

17. Non persistet in sententia, aliorum sen-  
tentia contraria, nisi causa gravi permotus.

18. Negotia sua pacate, sincere, bona fide,  
sine dolo, sine insidiis transigat.

19. Æquitatem ubique sequere. Adeo-  
que.

20. Ab altero ne quid exigas periculi vel  
laboris, nisi eisdem temet pari sorte sis impli-  
citurus.

21. Utaris fruarisque rebus creatis, sed hæc  
cum

cum modestia, ne alius harum usu, si ipsi accidat necessitas, privetur.

22. Quod tibi fieri, vel non fieri vis, alteri feceris, vel non feceris.

23. Ubique virtutes alteri gratas ostende non tam ore, quam opere. Itaque

24. Calamitose dolorem, misero misericordiam, iracundo mansuetudinem, offendentem gratiam tuam approbes.

25. Contra pectus Caucasum, sævitia, gaudium ex malis conceptum, austeritas, benevolentia venena refugas.

## CAPUT X.

DE

# RESTITUTIONE ALIENI.

§. I.

**R**estitutio alieni est officium hominem a natura obligans ad restituendum alienum, quod bona fide possidet, seu rem alienam esse nescit, sive titulo oneroso sive lucrativo illud in suam possessionem venerit, h. e. sive sua impensa operave acceperit, sive accipienti sibi nihil impendendum fuerit; nec non illud alienum, quod ex obligatione alteri debetur.

**I** Restitutio est officium a natura obligans.  
E.

1. Hac

1. Hæc restitutio naturalis est obligatio-  
nis, & ex humana dignitate naturali resultans  
dum ex Dei concessione, cuique homini id  
suum habetur, quod modis legitimis & a na-  
turali jure concessis sibi acquisivit; & sane  
nisi restitutio observatur, conscientia homi-  
nis semper turbari solet. Ideo

2. Nec homo potest alteri invadere suum,  
aut rebus ipsius damnum inferre, nec ille  
alteri suum potest auferre, aut acceptum re-  
tinere, quod alterius est, aut alteri debitum  
non præstare.

II. Alienum bona fide qui possidet, illud resti-  
tuere debet; Hinc

1. Etiam non postulante domino, id re-  
stituere oportet.

2. Qui igitur rem habet meam, pro viri-  
bus suis efficiat, ut res mea redeat ad me do-  
minum suum. Quare

3. Restituat, quod jure perfecto alteri de-  
bebatur, ut depositum.

4. Quod quis jure efficaci possidebat, ut res  
Domini est.

5. Damnum ex malo illato, quod alter hu-  
ic inferre haud poterat, ut judicis incompe-  
tentis pœna.

6. Et in tantum ad restituendum obliga-  
tur, in quantum interea, dum ego re mea  
cauri, ille factus est locupletior. Et enim,  
qui dominus est rei, is & fructum naturalem  
& industria productum jure capit.

K. Pro

7. Pro impensis tamen in rem factis. & pro opera utili bonæ fidei possessor jure deducit fructus perceptos, & extantes; nisi aliter fiat restitutio, sibi retinet.

8. Nec restitutio meis sumptibus debet fieri, qui alienum teneo, sed sufficit indicasse, quod alienum teneam, atque ad restituendum sui paratus.

9. Quo nomine impensas a me factas forte mihi restitui etiam postulare possum.

10. Et nisi restituantur mihi, alienum a me retineri potest, dum mea mihi restituantur.

11. Est quoque in officio B. F. possessoris dubitantis, an alienum sibi vendicet, publice citari suo consilio dominum indubium.

12. Item curam agere, ne res aliena apud se pereat, vel corrumpatur, sed ut integra redeat ad dominum suum.

13. Si tamen acciderit, pud b. f. possessorem, rem alienam interire etiam cum quadam illius culpa, quoniam nec rem, nec rei lucrum dictus possessor habeat, restitutionis exspirare videtur obligatio.

14. Contra ubi quis suis fructibus parcendo, alienis se locupletaverit, etiam si jam consumti illi fuerint, nihilominus valet restitutio.

15. Nisi quod fructus neglecti, neque percepti ex dicta ratione, quod possessor ex alieno nullum fructum lucratus sit, compensari non debere videantur.

16. Que-

16. Quemadmodum b. f. possessor, non consumitur tantum, nisi hujus rei copiam habuisset, lucrum a se perceptum restituere non tenetur.

17. Sic rem bona fide acquisitam ab eo, qui non est verus Dominus, reddita si mihi fuerit impensa mea, restitui iustum est.

18. Sic m. f. possessorem, a quo ego rem tertii accepi, jure possum ad id adigere ut pretium meum mihi restituat & rem domino suo restituat.

19. Quod si contigerit, ut cum domino concurrat is, cui ex contractu res repetenda debetur; domini jus potius est, ob antiquiorem obligationem; nisi contrahentis jus ex peculiari vinculo, prærogativam deponat, ut creditoris in re oppignorata.

20. Rem alienam sibi donatam, si quis donet alteri, restituere eam necesse est, si scilicet tantundem ille donaturus erat ex officio. Secus se res habet, si ex mera libertate erat donaturus.

21. Si quis rem alienam donaverit, titulo oneroso, non tenetur venditor ejus, nisi quatenus forte plurius alienum vendiderit.

22. Sin donaverit titulo lucrativo, tunc necessaria est restitutio omnis pretii per venditionem accepti.

23. Si vero partem teneat oneroso titulo, eam domino restituat, neque pretium possit dominum, sed illum, a quo rem accepit.

24. Emptori redditur merito pretium, quod domini gratia in rem reducendam insumserat, dummodo sumtus non excedant rei pretium, neque reducturus rei recuperandæ difficultatem prævideat.

25. Si quid ob rem turpem, aut ob rem honestam, ad quam per se quisque jam obligatus vivit, datum fuerit, id par erit restitui.

26. Venditori rem venditam emptor potest restituere, ne pretium impendat, si domini nihil interest, a Domino, an a possessore recipiat eam. Cujus gratia locus rei necessario indicandus venit.

27. Ubi quidem liquido apparet, ab eo tempore, quo res in potestate emptoris fuit, restituendi obligationem incipere.

28. Qui scit, rem esse alienam, eamque restituere negligit, delictum & culpam, & exinde poenam (in statu civili) contrahit.

29. Qui nescit rem esse alienam, scire tamen potest, is culpam contrahit, propterea quod diligentiam debitam in resciscendo non adhibuit.

30. Qui vero id scire, omni quantumvis diligentia adhibita, non potuit ne quidem culpa peccat.

31. Alterius segnitias in re nostra nobis detrimetosa, ad restituendam id, quod inde in nos resultat damni, obligat. Casus tamen insuperabiles nemo debet præstare.

32. Dominus etiam a, b. f. possessore re potest  
est

est vindicare suum, salva hujus actione ad-  
versus eum, a quo aliquid accepit.

III. Alienum, quod ex obligatione debetur,  
debet restitui. Et quidem restitutio illa fit.

Vel solutione, quando ipse debitor per se  
solvit, sive per alium, idque creditori, non  
alii, nisi creditore ipso annuente & consenti-  
ente. Ubifane solvi debet integrum, non  
pars saltem invito creditore, suoque loco ac  
tempore solvatur; vel dissensu mutuo con-  
trahentium cum utrinque redditur, quod  
jam præstitum est, & causa in pristinum sta-  
tum reducitur.

Vel compensatione, seu debiti & crediti  
inter se contributione, quæ cum jure reten-  
tionis confundi non debet, cum quis rem alic-  
nam tantisper retinet, donec sibi debitum so-  
lutum sit.

Cessat vero restituendi obligatio, adeoque  
& ipsa restitutio, si quid restituendum, vel  
præstatio, si præstandum sit; vel Remissione  
creditoris, qua debitor obligatione eximitur,  
vel novatione, qua prius debitum in obliga-  
tionem aliquam transfunditur. Idque fit  
bifariam nempe aut causa mutata, vel modo  
obligandi manente eodem creditore & debi-  
tore, aut debitore suo substituto creditori  
consentienti, vel interitu rei debite, modo  
is absque debitoris culpa accidat; nec resre-  
parabilis (fungibilis) in obligatione fuerit;  
vel morte debitoris, obligatione in ejus per-  
sona tantum radicata; vel lapsu temporis, ad



quod obligatio contracta ; vel alterius partis perfidia, obligationem tollente.

Veldenique ubi iusta præscriptione completeretur usucapio, ex jure gentium & civili. Si enim extet præscriptio inmemorialis, hoc est, initium memoriaque præsentis possessionis non apparet, ex gentium usu, vel civili etiam constitutione habetur possessio firma, etiam domino aliis documentis fide dignis probato prodeunte. Et ex hac causa dominiorum, alias in lubrico positorum dependet firmitas. Unde

Qui occasionem recuperandæ rei suæ negligit, vel omittit, neque repellit, cum possit, is potius deserendi, quam recuperandi declarat animum.

## CAPUT XI.

DE

# REPARATIONE DAMNI DATI.

§. I.

**R**eparatio damni dati est officium, hominem a natura obligans ad reparandum id, quod alteri per injuriam ademit. Unde

Non tantum injuriæ omnes verbis & re committendo vel omittendo illatæ, verum &

& omnes malæ fidei possessiones, huc pertinent.

1. Dàmna per injuriam (vel necessitatem) data reparari debent.

Hinc

1. Ignominia afficiens ad satis faciendum obligatur eatenus, quatenus læsi existimatio labefactata vel maculata offenditur.

2. Vñlnus infligens, aut mutilans membrum, impensas curationis dolorisque ferat, & detrimenti nomine tenetur, quod mutilatus minus valeat suarum rerum satagere.

3. Jure naturæ prohibetur furtum simplex, quod cancellum fit, & sine armis, violentum, ut in sacrilegio, in peculatu (rei aut pecuniæ publicæ) plagio seu dolosa emtione vel venditione liberi hominis, in abigatu, in rapina, quo referas, effractores domorum, latrones in via obvios spoliantes, prædones adorientes in aperta via homines, piratas, expilatores.

4. Restituantur furtim ablata, rapta, spoliata.

5. Et restituatur tantundem, quantum invito ablatum, ne alter plus habeat, alter minus.

Et in civitate, rei publicæ hac injuriæ violatæ, oportet satisfacere.

7. Extrema fame adactus (de quo jam supra) cum nemo ei suppetias fert, ut se conservet alias interiturum, quod furtim abstulit,

lit,

K 4

lit, meliore usus deinde fortuna, suo domino restituat. Et talis quidem a malicia, non vero a furti crimine excusatur.

8. In jus naturæ non peccant, qui expressum Dei mandatum habentes, aliquid auferunt; siquidem rei oblatæ objectum mutatur, estque jubente Deo omnium Domino, res non aliena, sed propria, cum DEI sint omnia.

9. Qui (in statu civili) jussu magistratus ex causa belli aut poenæ, aliquid aufert, non peccat in jus naturæ. Inde

10. Ex hostico licet prædas agere.

II. Bona publicata licite in fiscum trahantur.

12. Ex necessitate urgente alterius res perditæ, vel in vasa, compensari debet pro rata ex nostris, modo hæc non sint illis viliora. Hinc

13. E navibus, oborta tempestate, merces alienæ in mare licite ejiciuntur, ob salutem hominum.

14. Ædes incendio vicinæ licite diruuntur, ne flamma igne ad huc intacta corripiat.

15. Ager ab alienis undique circumseptus adiri debet, per circumjacentes agros alienos. In his & similibus exemplis utilitate publica vel necessitate pensatur, quod privatim alteri infertur detrimenti. Et servitus illa agri certe liberalioribus officiis humanitatis rependere decet, si alias de jure nihil pensandum incumbit.

16. Etiam

16. Etiam administri, servi, & ancillæ nostræ dedi debent læso; aut nos ipsi servorum nostrum damna pensemus.

17. Id quod etiam de nostris animalibus valet, ut ut absque culpa nostra aliis nocuere.

18. Sic in foro civili, reus ad delicti confessionem abligatur.

19. Item testes, de alieno crimine testimonium perhibituri.

20. Et perperam falsa allegant causarum patroni quidam, si eo pacto solutionem debiti possint differre.

21. Poscit damni reparatio examen læsionis accuratum, quod institui nequit, nisi dolum, culpam & casum fortuitum probe distinxeris.

Nimirum dolus efficit injuriam, hoc est, læsionem verbalem & realem, cum actio est suscepta contra legem, idque destinato animi proposito. Et ob eam causam dolosum damnum, præter reparationem dati damni etiam veniæ rogationem deposcit, quam concedere utique alterius est.

Culpa, cum læsio est facta, non plane fortuita sed tamen absque animo lædendi.

Hujus culpæ tres gradus vulgo numerant; Culpam latam, quæ est omisio minimæ diligentia, hoc est, ejus, quam omnes homines in suis negotiis solent adhibere.

Culpam levem, quæ omisio diligentia mediæ habetur, hoc est, ejus diligentia, quam

aliquis non indiligens in operis suis ostendit.

Culpam levisissimam, quæ describitur omissio diligentia exactissimæ, a diligentissimo tantum exhiberi solita.

Casus fortuitus dicitur, quando læsio plane fit contra voluntatem & promissionem lædentis.

22. Examen læsionis etiam totam injuriam, & omnia, quæ ea continentur, exacte æstimat, ut nihil maneat residuum, quin reparetur, & sic injuria omnis tollatur, & ne plus æquo repetatur. In quo non necesse est spectare tantum æstimationem nummariam, siquidem famæ & corporis damna nullo ære æstimantur, sed in alio genere mali corpori, famæ, bonis refundendi pensatio fiat & talio justa, ponderatis recte, quæ commissa sunt. Idcirco

23. Attendere oportet, an quis autor fax & tuba damni extiterit, & nisi ille fuisset, damnum nullum secutum fuisset. Item, an quis simul commodum aut lucrum perceperit.

24. Præterea videndum, quæ necessario ex dato damno consecutura erant.

Nam & hæc pensari justum est. Nisi casus fortuitus, a nemine præstandus ob defectum imputationis intervenerit. Sicut sua culpa sibi nocens damnum non sentire existimatur. Sic damnum laudantes, excusantes, optantes, de eo lætantes, nocentibus faventes

tes ad reparandum non obstringuntur, licet deliquerint.

25. Tantam autem vim damni impacti reparatio obtinet, ut, si a pluribus simul impactum sit, qui absque necessitate in noxam alienam incubuit, primus teneatur, postea cæteri, & omnes pro singulis singulique pro omnibus, & comprehensorum singuli, pro rata quisque compensent, & cæteris a facultate opum destitutis, solus locupletior pro omnibus, sique discerni possit liquido, quisque noxam suam, quam dederit, pensare teneantur.

26. Damno reparato, nihil reparandum restat, quamvis aliqui ex facinorosis ejusdem noxæ ad pensandum aliquid attulerint.

27. Prohibetur post factam reparationem vindicta a læso intenta, cum res confecta, transacta sit, nec dignitas humana permittat, neque a parte lædentis neque læsi ulterius in ultionem provolare.

II. Extra dubitationem omnes malæ fidei possessiones sub restitutionem cadunt.

Hinc

1. Possessor m. f. ex suo maleficio nullum fructum capiat, eoque

2. Rem, aut rei æstimationem cum fructibus extantibus ex perceptis restituat.

3. Fructuum percipiendorum rationem reddat.

4. Nee

4. Nec ei pretium restituitur.  
 5. Re tamen forte fortuna pereunte, m.  
 f. possessor non tenetur.

SECTIO III.

DE

OFFICIIS HYPOTHETICIS

TAM EXTRA, QUAM INTRA  
 CIVITATEM,  
 CAPUT I.

DE

JURE ET VIRTUTE  
 SERMONIS.

§. I.

**D**Ei sapientia homini sermonem indidit, ad quem formandum hic a natura habilis apprehenditur, in eoque dono ei attribuendo excellentem ei præstantibus dignitatem apposuit: quæ quidem tantam vim habet in homine, tantumque pondus, ut inde Sapientissimi Creatoris voluntatem, qua homini injunxit naturaliter moderatum, prudentem, humanisque congressibus convenientem sermonem, agnoscat. Hinc

Omnis homo natura obligatur ( perfecte, imperfecte ) ad sermonem suum recte componendum, quod est, ad orationis vel veritatem

tem, II. virtutem, III. necessitatem, IV. utilitatem, V. prudentiam.

I. Ad veritatem orationis. Unde

1. Nemo alterum sermone (vel aliis signis sermonis vicem gerentibus) decipiat?

2. E contrario sensa animi vere integreque significet. Proinde in loquendo

3. Caveatur omnis dolus in sermone, utpote quo veritas intervertitur, alteri damnum inferitur.

4. Caveatur significatio falsi cum fallendi intentione, h. e. mendacium, dissonantia illa oris ac pectoris.

5. Caveatur falsus testis, cujus improbitate nos contra veritatem armamur, qui, si veritatem supprimit in foro, alienum crimen in suum caput redundare facit, cum ipse ad dicendam veritatem devinciatur.

6. Caveatur falsum Chirographum, quo alterum defraudamus, non lingua quidem, sed certe stylo, linguarum vicario utentes.

7. Caveatur subdola atque in detrimentum alterius vergens occultatio veritatis.

8. Contra ea os nostrum animique sensus concordent, quoties ad alterum loqui volumus; licet (veritate Logica,) propter humanam imbecillitatem non semper cum re congruant. Unde

9. Sermonem facturus, his utatur verbis, quae consuetudo linguarum, aliorumque sensus rei que presentis conditio exigit.

10. Quam mentem verba prae se ferunt  
eam



eam intra se cum aliis colloquens teneat  
nunquam aliter loquens, aliter sentiens, ne-  
que reservationibus mentalibus nullus reli-  
ctus locus est.

11. In jus naturæ impingit falso sermone,  
alterum sic circumveniens & ad restituend-  
um id, quod datum est damni tenetur.

12. Falsumq; cum effectu alteri propinare  
conatus quatenus læsit, tenetur.

13. At sine effectu conatus idem, ex dolo  
quidem non tenetur, sed tamen suam con-  
scientiam vulneravit, falsiloquia mala inten-  
dens.

14. Sine dubio errat, qui errore simplici  
videtur commisisse falsum & ab obligatio-  
ne propterea immunis apparet.

15. Ad confitendum tamen suum crimen  
sua sponte ideo nullus obligari videtur, quia  
nemo censetur allegare velle propriam tur-  
pitudinem, aut pœnam sibi ultro ( in civita-  
te ) accersere. Quid? quod occulta crimina  
republicam non adeo lædere videantur.

Interim humanæ dignitati sine dubio pro-  
pius accedit confessio ingenua.

II. Ad virtutem Orationis. Hinc

1. Silentium præstare in certis rerum ar-  
ticolis, magnæ sapientiæ, putatur; nec exi-  
guum viri cordati ingenium eo elucet.

2. Certis tamen in casibus silentium pro  
quadam injuria, aut saltem inhumanitate  
accipitur.

3. Vir-

3. Virtutes linguæ depromere, vitia commendare decet.

Itaque

4. Loquamur veritatem, quam diximus.

5. Candorem & integritatem promat oratio.

6. In verbis insit constantia.

7. Ne temere aliquid sermone fundatur.

8. Taciturnitas non minus commendat, quam facundia oris.

9. Eloquamur, ubi res nostrum eloquium postulat.

10. Comis & modestus vultus loquentis condit orationem.

11. Jocos tempestivos tempori interpositos non damnat jus naturæ.

12. Odisse oportet calumnias, obtreccionem, convitia, assentationem, adulationem, maledicentiam.

13. Nemini noceatur verbis, nemo offendatur, vel ad iracundiam invitetur.

II. Ad necessitatem Orationis.

Hinc

1. Loqui necesse est, cum ex pacto, aut ex vinculo juris naturalis, aut ex natura negotii præsentis, ad loquendum obstringimur.

Unde.

2. Informatores fideliter doceant, & sine invidia, non partem doctrinæ suppressentes, partem utcunque communicantes.

3. Contractus & pacti verba clara sint, certa,

certa, perspicua, non ambigua, non obscura.

4. Nefas, alterius dignitatem extenuare verbis, bonamque ipsius famam adpersa etiam macula, deprimere. Quo nomine

5. De illata per contumeliam injuria omnes tenentur, qui rationis sunt capaces, & apti ad alterius exiltimationem destinata contumelia diminuendam.

6. Et tunc læsus tam in se, quam in suis vindicare potest verborum injuriam, & exempli gratia pater pro liberis, maritus pro uxore, dominus pro servis, jure suo injuriam prosequi.

7. Læsoque de fama & exiltimatione violata satisfieri debet, quæ satisfactio sufficit, si lædens suam culpam agnoscat. Sæpe & damni inde nobis dati reparatio urgetur, & quidem de jure. Sæpius & condonatio ultionem vel comprimens, vel transmittens, delet injuriam.

8. Imo verbales istiusmodi injuriæ sæpe numero tam sunt duræ, ut iis delendis neque temporis longitudo, neque mortis interven-tus obligationem exinde conflata tollere videantur.

9. At si cui non obstringimur aperto sermone, adyta pectorum nostrorum recludere, ei multa dissimulare possumus. Sicut dissimulationes approbant, ad aliorum interrogationes, qui nullum jus habebant interrogandi.

10. Cum

ro. Cum alicui obligari volumus jure stricto, ita formandus sermo, ut genius linguæ imperat, nec nova significatio verbis affingatur, aut ex nostro cerebro, sed potius ex communi verborum usu loquamur, idem de aliis obligari nobis volentibus jure expectantes.

IV. Ad utilitatem Orationis. Hinc

1. Alterum nostro sermone pro facultatibus nostris adjuvare studeamus.

2. Si lingua evidens & aperta noceret alteri, cui tamen prodesse debebamus aut volebamus, obscurare sermonem, alioque desistere in officio est.

3. Ex eadem ratione fingere orationem non prohibetur, cum protegendus innocens placandus iracundus, demulcendus moestus, metu perturbatus erigendus, medicamenta porrigenda, pertinacia animi frangenda, malum consilium subvertendum, arcum eliciendum, quod nosse salutis nostræ interest.

4. Fabulis & fictionibus rudes erudire veritati non repugnat.

5. Figmentis, fictitiis, stratagematibusque hosti illudere, nunquam fuit improbatum.

6. Sic iracundo, libidinoso, fastidioso, meculoso, persuadere id, quod secus se habet, falsiloquium, non mendacium (nisi officio summalis) vocatur.

7. Restrictiones a communi sensu abhor-

L

ren-

rentes, quibus alter defraudetur, sermoni  
affricari nefas.

V. Ad prudentiam Orationis. Hinc.

1. Nemo se ipsum sua lingua vult predi-  
tum.

2. Aliquando tacuisse neminem poenituit;  
locutum esse poenituit.

3. Blandum stultitiz genus est, secreta ani-  
mi sui, in suam perniciem, in alterius gremi-  
um excutere.

4. Non postrema laus existit prudentis ho-  
minis, veritatem in loco dissimulare.

5. Lingua se precipitans intra gyrum ra-  
tionis coerceatur.

6. Si qua utilitas, mea agitur, cur in ea re  
mentem meam cuivis obvio deuecdarem?

## CAPUT. II.

DE

# JURE JURANDO.

§. I.

**I**mpressit Creator O. M. homini, ad res  
magnas formato, testem sui, h. e. consci-  
entiam, eo teneriorem, quo propius me-  
ditando ad Deum accedit. Id quod satis  
manifeste exjurandi sanctimonia intelligitur.  
Est enim Jus jurandum ( quod quis non sal-  
tem verbis conceptis alicui praeuendo reci-  
tat, absque jurandi, quantum in se, intentio-  
ne, sed quod animo jurandi pro se & sua cau-  
sa

sa edit ) assertio religiosa, qua divinæ misericordiae renunciamus, vel pœnam divinam in nos deposcimus, si falso juremus.

I. Jus jurandum est assertio, & quidem aut veritatis, cui mendacium opponitur; aut fidei nostræ, qui juramus, eique opposita est perfidia. Utrique assertioni opponitur perjurium, quod mentiendi aut fallendi animo fit. Unde.

1. Juraturus intra sacrum & saxum quasi constitutus deprehenditur.

2. Secumque habitare debet, ne quid peccet in hoc periculoso & delicato negotio, a quo sæpe res magnæ pendent, & ex quo erit, peracto tranquillitas animi, contra ea ee neglecto & corrupto inquietas animi perpetua consequitur.

II. Jus jurandum est assertio religiosa.

Hinc,

1. Inest in assertione jurata non solum confirmatio asseverans, sed & religionem incutiens.

2. Per ea jurato asseritur, quæ sancta sint, aut quæ certe juranti sancta habentur, quæ sicut jurans violare nolit; ita nec rem jurato asseritam, cum assertionis violatio simul involvat violationem religionis.

3. Inde est, quod jurantes rem sibi sacram, profanare fugiant, pœnentes e. g. manes pi-  
os, parentes, majores, famam Principum,  
canos, senectutem, fidem. Aut pœnam in

se deposcentes e. g. nomen Principis advocant.

4. Licet igitur per Principis fortunam, sceptrum, salutem, genium, jurare. Quippe laeso Principe, Majestas ipsa laeditur.

5. Formula; ego juro; ita esse, religiosam comprehendit assertionem, & sic verum juramentum.

6. Juris jurandi loco spondens, vere juravit.

7. Licet jurare per Deum in rebus necessariis.

8. Juratus religiose, ordinarie servet religiose, quod juratus est.

9. Non intelligens verba, quae quis pronunciat, & quibus jus jurandum contineri ignorat, non juratus censetur.

Nam hoc sacrum non in verbis consistit, sed animo.

10. A perjurio non multum abest, qui juramenti verba quidem, non autem rem capit, quam affirmat, licet eam putet veram esse. Talis certe temere juratus est.

11. Perjurium perpetrat, qui dubitat, & tamen jurato affirmat. Nebulam pro Junone, incertum pro certo amplectitur.

12. Alius pro altero jurare non potest nec reus fieri perjuri. Qui enim non jurat, non obligatur, & qui juravit, non pro se juravit.

13. Nisi ex praescripto mandato juretur, quoniam verbis, tanquam instrumentis mens exprimitur. Unde.

14. Nihil inter esse, suis, an alterius verbis asser-

assertio exprimatur. Quod alias in alterius animam jurare dicitur,

15. Ad religionem jurantis, non ad ejus, cui juratur, jurandi formula accommodari debet.

16. Non desunt, qui per templum, per aram, per dextram, per patrem &c. jurare non illicitum existimant esse, modo his formulis tacita aut expressa subsit clausula, Deum ultorem fore, si falso juretur.

17. In animam alterius jurare licere quidam non negant, in iis quidem rebus, quas possumus expedire per alterum, & si mandatarium singulari mandato instructus sit ad jurandum per alterius animam.

18. Juratur recte per Numen solo juramento assertorio, de re occulta concepto, & cujus veritas a jurantis dependet conscientia.

19. Per Principem patriam, liberos, resque charas & venerabiles jurare licet, juramento promissorio, non assertorio, seu cum quid promittimus, non cum quid asseveramus. Et ejusmodi jusjurandum hunc habet sensum: nos tam sancte impleturos esse, quod promissimus, quanti faciamus honorem ejus, per quem ita promissimus. Et si falso juraverimus, nos precari, ut Deus rem nobis charam corrumpat aut perdat.

20. Ad præstandum aliquid jam ante obligatus, per juramentum se isto vinculo non exolvit.



III. Jusjurandum respicit misericordiam & poenam divinam. Ergo

1. Jurare per solum Deum debemus.
2. Juramentum per falsos Deos a juramento exigere, religiosi se minus approbat.
3. Jurisjurandi usus merito fit sacrosanctus.
4. Jus jurandum summa cum veneratione adhibendum.
5. Sine necessitate, sine reverentia & cogitatione Numinis jusjurandum promiscue & vel quotidie miscere sermoni, impium est.
6. Jurandi vis magni semper fuit apud gentes; licet circa externam solennitatem magna apud easdem deprehendatur varietas.
7. Juramenti violatio non aliter æstinari debet, quam Majestatis divinæ & nominis divini illusio; qua ignomina nihil execrabilius orbis habet.
8. Quo vehementius quisque erubescat ad sacrum hoc illotis manibus ac sine horrore accedere.
9. Nemo creditur tam esse impius, ut pejerando divinam vindictam in se provocare audeat.
10. Quem probabile est commissurum esse perjurium, is ab officio sacro jurantium cohibeatur.
11. Levi impetu provelare ad jurandum mini-

minime decet, sed necessitate cogente, cum ab altero ad jurandum deposcitur.

12. Levis ergo animi & suspectæ fidei homines sua sponte ad jurandum veluti profiliunt.

12. Quam ob rem nisi duro necessitatis telo compulsi, non facile aliquem ad jurandum postulemus.

4. Jure jurando abstinenceamus, nisi imperantium certamina violenta, veritas pro tribunali referenda, & necessitas fidem juratam efflagitant.

15. Si ergo veritatis indagandæ desint remedia, puta testes, documenta fide digna, & similia, ad fidem jurato adstruendam confugere superest.

16. Juramentum excludit omnem dolum, cavillationem omnem, sive de re præstanda (quo sensu promissorium appellatur,) sive de decidendis controversiis, sive de re præterita, sed parum liquida (& assertorium dicitur) agatur.

17. Insaniunt jurantes, aliud ore promptum, aliud pectore clausum gerentes, mentales, quas vocant, reservationes foventes.

18. Etiam si facinoris admodum probabilia extent indicia; quoniam tamen ex alterius confessione veritas est indaganda, nec alia via datur indagacionis, & quia juri jurando per se hæc præsumptio innexa intelligitur, ne-

minem pejerando Deum esse offensurum juramentum purgatorium tali juraturo adjudicatum, non erit illicitum.

19. Quemadmodum furiosos & sana mente carentes, infantes, profunde ebrios a præstatione juramenti arcemus merito; ita laudabiliter ætas maturior & major expectatur, quæ religiose jurando apta fiet.

20. Absurdum est, rem illicitam quantumvis jurato promissam, servare, & Numinis reverentiam in Numinis contumeliam velle convertere.

21. Jus jurandum super negotio, bonum morale majus impediente ( ut nolle amare proximum ) non valet.

22. Super re impossibili jurans adeo nihil agit, ut illud summam quoque jurantis temeritatem arguat.

23. Jurato se abdicans omni facultate disponendi, si nihilo secius disponat, fit perjurus ejusque dispositio e. g. (per testamentum) irrita habetur.

24. Qui autem jurat, se se dispositionem suam non mutaturum esse; tunc, facta nihilominus, juramento non obstante, mutatio jurantem quidem reddit perjurum, actumque vitiosum testamentum tamen ideo valorem suum non amittit.

25. Per falsos Deos jurantis perjurium subiacet veri Dei judicio, uti illorum, qui per Deum verum pejerant, & is pejerantis veniam acriter vindicaturus est.

26. Sunt

26. Sunt nonnulli, qui putant, Christiani illa conscientia ab homine gentili jus jurandum exigere posse; alioquin, si gentilis ex lege Christianorum esset juraturus, perjurio ansam præberi. Sunt, qui secus docent, ne falsis Diis subscribatur. At hic gentilis homo ex suo ingenio & fide considerandus venit, & prior sententia apud Doctores probata hæctenus.

27. Juramenta etiam supremæ potestatis in his terris subsunt iudicio. Ex eoque fonte.

28. In majoribus hominum societatibus juramentorum dispensationes & relaxationes obtinent, ne sine oculo superioris illa usurpentur.

29. Superior igitur & declarare potest juramentum h. e. inhibere juraturum, ne juret; nunc interdicare jurantis efficaciam, ne id, quod jurato promissum, præstetur; nunc prætensionem alterius intervertere, cui juratum est, ne quid a jurante accipiat.

IV. Jurantes divinæ misericordiæ renunciant vel poenam divinam in se deposcunt.

Hinc

1. Jus jurandum magnam vim habet.

Unde

2. Juramenti inter homines veritas viget, lites finiuntur, in promittente fraus atque perfidia, in eo, cui promittitur, dubitatio & incredulitas præcavetur.

3. Juramenta in dictis factisque se habent instar vinculorum.

L 5

4. Alia

4. Alia mente, quam verba ostendunt, jurantes, nihilominus ad eum sensum, quem alter, cui juratur, ex verbis fert in animo, obligatur.

5. Summatim, jusjurandum obligationem sacram & inviolabilem parit. Idcirco.

6. Quod juratum est hosti publico, imo & prædonibus, omnino obligat.

7. Et prædones quidem ipsi nobis obligantur ex delicto; at nos ad actum promissionis nostræ obligamur ex conventionem.

8. Qui verbis ambiguis aliam sententiam, quam de qua agitur, animo retinet, duplici se maculat perfidia; nam & perjurio violat id, de quo actum est, & dolo, simulat sententiam aliam.

9. Qui generatim jurat, obligat se ad ea, de quibus forte ipse ne cogitaverat quidem.

10. Solo imperante jurato de jure rei publicæ, res publica quoque obligatur.

11. Juramentum athei, jurantis per Deum, quem tamen ipse negat, tamen valet ex natura sua, ejusque intentione, cui juratur.

17. Per falsos Deos, quos ipse tamen veros esse credit, jurans sicut vere jurat, ita vere obligatur.

13. Notandum, quod jus jurandum non producat obligationem novam, sed obligationi jam validæ tanquam sigillum, in majorem certitudinem autoritatemque imprimat.

mat, & obligationis principalis, & actus naturam sequatur.

14. Jus jurandum dissolvitur, si quis acquisito suo juri renunciet; aut si ea ratio conditioque cessat, cujus intuitu ad jurandum ibatur.

15. Item, si ad fidem aliis faciendam juratur, de præstando aliquo, tunc ille, cui jurata promissio facta est, jus jurandum remittere potest.

16. Item jusjurandum illi negotio nihil dat efficaciam, quod ob formam deficientem est nullum.

V. Jus jurandum tamen certis in casibus habet vim limitatam. Hinc

1. Si jus jurandum jurantis personam non egreditur, (ut, si de fide sua vel pietate quis jurato aliquid concepit) hæredem non attingit, neque obligat.

2. Sin alteri jus sit quæsitum perfectum, cum nempe jurantis præstatio bonis ipsis inhæret, etiam juramentum tunc hæredes obligat; quos tamen debita præstare negantes non perjuros, sed perfidos tantum vocare liceat.

3. Ita successores populi jurati, nisi ipsi repetiverint juramentum, ob juramentum violatum non fiunt perjuri, sed perfidi.

4. Jusjurandum super re ex hypothese impossibili, hypothese impleta, pendet eo usque jurantis obligatio, donec impletio præstationem secum vehens sequatur.

5. Ha-

5. Hæres ex conventione jurata, jure in alterum per juramentum translato, quoad efficaciam obligationis obligatur, non vero ex ipso juramento. Idcirco non fit perjurus si se opponat.

6. Si defunctus pejeraverit, hæres non obligatur ad poenam, nec obligatur, quod attinet ad juramenti vinculum, sed quod ad obligationis efficaciam.

7. Dolo elicitedum jusjurandum neque obligat, neque ejus ulla est efficacia.

8. Nec injusto metu extortum obligat.

9. Si quis autem, inductus teneritate animi, tale jusjurandum sibi servandum putat, eum sua conscientia ad observandum obligat.

10. Nec valet jusjurandum, cum error adversarii jurandi causam dedit. Jurans enim tunc non tenetur, atque in jurante, voluntas deficit.

11. Jusjurandum, cujus impletio cum tertio, imprimis superioris, præjudicio conjuncta est, aut jus quæsitum ex priore promissione elidit, non obligat.

12. Ex errore promittens jurato, promissionem & jusjurandum viciat.

13. Re illicita a parte ejus solius, cui juratur non vero a parte ejus, qui jurat, jurans tenetur.

CAPUT III.

DE

INTERPRETATIONE JURIS.

§. I.

**I**nterpretatio juris est modus juris sensum exponendi.

Hinc

1. Interpretatio sacra & profana, sacrarum literarum & Autorum classicorum, inde segregatur.

2. Sola juridica, quantum ad jus præceptivum & concessivum, heic in considerationem venit.

3. Sola hujus exponendi adminicula, relictis reliquis, adhibentur hoc loco.

4. Interpretatio hæc vel pertinet ad alterius voluntatem, quam scire nostra refert; vel ad legem, cujus mentem investigamus.

5. Huc non pertinet interpretatio authentica, cum ipse legislator munus subie interpretis, legemque a se latam explicat.

6. Sed doctrinalis, cujus partes obseandas juris peritis competere constat. Adeoque dum interpretatio declarativa, ex verbis præsentibus legislatori mentem declaratans; tam extensiva, verba angustiora (quando alter minus locutus videtur, quam sentit) ad alium casum mente comprehensum extendens, nem.



nempe ubi liquet, rationem, sub qua casus venit, esse causam unicam & efficacem, quæ legislatorem moverit; tum restrictiva, angustior quasi mentem, (cum quis plus locutus videtur, quam sensit) ex verbis amplioribus ostendens, & restringens.

7. His aliquando accedit (in societate) interpretatio usualis, cum res exponitur, ex recepto usu vel consuetudine. Ex istis apparet,

8. Interpretationem hanc, de qua loquimur, partim verbis, partim conjecturis, nunc separatim, nunc conjunctim, niti. Unde

9. Verba popularia interpretanda veniunt populariter, quod est, usu populari, significatione propria ac famosa.

Scilicet loquentis consuetudo, ut alias solent accipi voces, oportet inspicatur. Ubi vero consuetudo non appareat, communis populi interpretatio attendat. Si vero neutrum adsit liquido, explicatio vocis propria & genuina teneatur.

10. Verba eruditorum artiumque vocabula, ex mente eruditorum artisque peritorum, capiunt interpretandi lumen. Quamquam nihil impedit, quo minus ad evitanda ambigua, popularibus quoque verbis afferantur controversia.

11. Verba præsentia cum præteritis seu superioribus collata eo loco, quo autor fore in simili argumento versatur, si non prorsus eodem, facem accendit interpretari studen-

ti, secundum illud tritum: Obscura cum clarioribus ejusdem Autoris, antecedentia cum consequentibus comparentur; nisi auctoris animus mutatus exploratus sit.

12. Quod attinet ad conjecturas, quoties variaz significationes occurrunt in sermone, aut inter se pugnancia, conjecturis opus est.

Hinc

13. Priora derogant posterioribus.

14. Materia substrata ponderanda atque ad materiam sensus attemperandas.

15. Effectus absurdus aut nullus interpretationis justa cum lege divina atque humana collidens, ipsam destruit interpretationem.

16. Ex locis similibus facta collatio fit conjectura sagacis interpretis.

17. Causa movens alterum, qua sublata, simul res ipsa tolleretur, plurimam valet ad interpretandum.

Quapropter

18. Latente rei ratione, quoniam legi aut pacto non fuit inserta, solerter porro investigare oportet, & notitia repetenda ex lectione historiarum, ex cognitione singularium circa pactum legemve, ex prudentia politica, denique ex Oeconomia, in rebus economicis.

19. Una deficiente ratione, non statim ceterae deficient.

20. Omni ratione deficiente, legislatoris voluntas pro ratione fuerit.

21. Quod

21. Quod si ab autore ( legislatore, testatore, contrahente ) favorable & odiosum sit determinatum, etiam inde decisio potest peti.

22. In defectu voluntatis originaria, si sequatur absurdum, si cesset ratio, quæ sola voluntatem moveat, si materia desit, de qua, qui loquitur, semper cogitasse creditur, restringendus est sermo.

23. Item, repugnante casu interveniente, cum voluntate ejus, qui constituit rursus restringendum, si ab æquitate esset recedendum, si legislator vel constituens præsentem casum exceptum voluerit.

24. Cum utrique satis fieri nequit, ut sciatur, utrum præferendum sit, interpretis animo sequentes obversentur regulæ 1. Præferantur

Lex arctius ligans laxius liganti.

Jussa & prohibita promissionibus.

Id, quod faciendum certo tempore ei, quod faciendum quovis tempore.

Præceptum negativum affirmativo, si hoc observari non possit, nisi simul violetur negativum.

Obligatio perfecta imperfectæ.

Lex aut conventio specialis generali.

Præstatio habens causas magis honestas præstationi habenti causas magis utiles.

Lex gratitudinis legi beneficentiæ,

Lex

Lex gratitudinis legi beneficentiæ.

Lex superioris potestatis legi inferioris, si utrique nequit fieri satis. Deo plus obediendum, quam hominibus.

25. Cæterum, ob dispositionem ac voluntatem certam jurè naturæ, hoc tenendum, quod mutatio non præsumatur, quod res præsumatur in statu suo naturali manere, quod præsumatur naturaliter reus in dubio absolvendus esse, non condemnandus.

26. Ex dictis intelligitur, hominem solum, rationis capacem, & ingenii solertia pollentem (quæ non minima dignitatis naturalis in eo portio) talibus interpretationibus admoveri posse, in quibus ratio & rationis reflexio, ceteraque subsidia juris interpretandi, utramque paginam, ut ita dicam faciunt.

Imo in quibus sic procedendum, ut homini, tam insigni animali, nihil derogetur, quod ei debebatur, neque aliquid arrogetur, quod ei non debebatur, utque interpret ipse ab hoc humana præstantia quam minime defecisse videatur.

## CAPUT IV.

DE

## PROMISSIS.

§. I.

**P**romissa sunt conventiones hominum ex mutuo consensu ortæ, circa res sue facultatis, de dando, faciendo, & accipiendo.

M

I. Pro-

I. Promissa sunt conventiones. Hinc

1. Oriuntur ex voluntate rite declarata, & producunt obligationes non a sola voluntate profectas, sed a vinculo & necessitate solvendi, & quod attinet ad bona, a juris commutatione, qua alteri aliquid abest, nec jus ipsius est integrum. Ut qui promisit sibi aliquid demendo, alteri addidit, quod promissis explendis demum solyitur.

2. Adeoque ex consensu oriuntur, quem neque necessitas impedire, nec vis aut coactio tollere potest; nisi quod, si vis injusta sit, in poenam & injuriæ reparationem, conventio in se valida, edicto Prætoris (in civitate) rescindatur.

3. Homo in dignitate sua naturali consideratus, ut mentem intellectum & voluntatem habens, hic concipitur. Unde

4. Sanæ rationis usu destituti ut infantes, furiosi, quatenus tales, i. e. nisi lucida intervalla a furore sanam mentem discernant, nec non amentes excluduntur a promittendi officio.

5. Sanæ rationis usum dedita opera inhi-bentes, ut summe ebrii, peræque a promittendo excluduntur.

6. Resipiscens tamen ab ebrietate, quod promisit, ex eo obligatur, si sobrius idem repetat. Ac sic non ut ebrius, sed ut post ebrietatem sobrius & quidem a se ebrio promissa confirmans, obligatur.

7. Ab extreme ebrio promissum, præcipue onerosum, qui eliceret, vel flagitaret, notam sibi impudentiæ merito inureret. Si que callide generoso potu alterum obrueret; mentique de industria nebulas offunderet, doli malitia non vacaret.

8. A promittendo segregantur & illi, qui, propter immaturam ætatem, ratione uti nesciunt. Quæ vero ætas promissionibus matura habeatur, jus nat. haud determinat, cum alius alio celerius tardiusque mature scat judicio.

9. Conventiones ejusmodi viis obviis expediuntur. Indeque

10. Cum cive-paciscens (etiam promittendo) peregrinus, tenetur legibus ejus civitatis, in qua moratur, quasque civis temporarius consideratur.

11. Ejusdem qui sunt civitatis, cum paciscuntur in loco alieno, ut in Insula vel mari, legibus suæ civitatis se attemperant.

12. Diverfarum civitatum homines patetum initari, se se legibus patriæ potius, quam extraneis accommodent; quanquam & hoc illis licet.

13. Absentes, qui negotium contrahunt per literas, nituntur jure nat. & ad hujus ductum sua componunt.

14. Et Imperantes summi legem nat. amplectuntur normam, cum civibus paciscuntur; tes;

tes; nisi sua sponte se legibus civilibus placeat subicere.

II. Promissa oriuntur ex consensu mutuo, qui vel expressus, vel tacitus esse solet. Ad illum pertinent voces, literæ, nutus, aliæque signa voluntatem humanam loquentia. In hoc silentium inest, adjunctis rei præsentis circumstantiis indeque (datis circumstantiis) sæpe pro consensu accipitur, & est silentium. Hinc

1. Promissi firmitas debetur promittentis & accipientis consensui. Unde

2. Error circa accidentia, non circa substantiam rei, non labefactat firmitatem promissi. Quamquam solus error ad rescindendam conventionem aliis non videatur sufficere, quia unius imprudentia alteri nocere non debeat; nisi aut dolus errori causam dederit, aut error fuerit mutuus.

3. Sique tertius, dolum machinatus, me in errorem induxerit, innocente eo, qui cum pactus sum, stant promissa firma.

4. Qui factum aliquod, vel qualitatem rei supposuit promittens, alias non promissurus, nihil promisit efficaciter. Modo constet liquido ex circumstantiis, promittentem unice ex illo facto aut qualitate tanquam ex conditione, suspendisse consensum suum, nec non in re investiganda omnem diligentiam adhibuisse.

5. Promissa per metum, aut violentiam

ex-

torta valent, quia, licet libertati vis & injuria inferatur, voluntas tamen id circo non impeditur, ut pote quæ stare potest cum necessitate; nam voluntatis ratio in quadam alubescencia consistit, qua quis eo, quod fit, acquiescit, idque probat in præsentia.

6. Quare non saltem, ob consensum post aperte declaratum, standum erit promissis metu aut vi expressis.

7. Promissa sunt servanda.

8. Secus qui fecerit, peccat, sibi que & aliis nocet.

9. Indignus prorsus dignitate hominis, qui tunc, cum maxime fallit, id tamen agit, ut liberalis & officiosus esse videatur.

10. Fides promittentium, quandoque jurandi religione firmatur; licet apud viros bonos ac generosos injurata fides jurisjurandi vim obtineat.

11. Ex promisso legitimo atque ex consensu facto jus perfectum nascitur, adeo, ut promissor vel invitus ad explendum promissum cogi queat.

12. Impletio ejus, quod promissum est, tollit promissi vinculum.

13. Promissi consilium non saltem expressis iudiciis, aut ex natura rei tacite, sed & per alios homines potest innotescere. Unde.

14. Per mandatarium facta promissio subsistit. Nam qui per alterum agit, tertio vere se obligavit.

M 3

15. Si



15. Sique tertius sit instructus mandato, ad aliquid pro altero accipiendum, promissionem alteri factam potest acceptare.

16. Sin tali mandato instructus non sit, & aliquid promitti audit alteri tradendum, potest & non potest pro lubitu promissum acceptare.

17. Si promissio fieret; in eius nomen, cui res danda foret; tunc neque tertio jus quæsitum ex promissione est. Non enim promissio facta in ipsius nomen neque promissario, qui nullum sic acceptandi mandatum dederat, ideoque actionem acceptantis non agnoscit pro sua.

18. Si quis pro altero accipit neque ut minister neque ut procurator alterius, non valet acceptatio nisi sua intersit, aut tertius postea acceptationem ratam velit esse.

19. Si internuncius promissum meum alteri delaturus, moriatur antequam ei significetur mea voluntas, promissum potest revocari.

20. Promissioni etiam conditio possibilis addi potest, non post, sed ante acceptationem; quæ tamen conditio non in arbitrium promittentis conferatur, ut e. g. adjiciatur formula: si mihi placuerit. Etenim ita semper eludi posset promissum.

21. Cumq; alter sua culpa impletionem intervertit conditionis, hæc pro impleta habetur.

22. Qui solutionem promittit in tempus, simul tacite in illum valorem, qui tunc futu-

turus sit, consensisse intelligitur; nisi tempore famis e. g. frumentum ematur. 23.

23. Si in promissione ambiguitas verborum casu eveniat, omniaque sint fide bona peracta, ad mentem promittentis verba interpretanda veniunt, h. e. quomodo illa verba accepturus fuisset, si casum emergentem ante scivisset.

24. Ceterum interpretatio promissorum juxta modos interpretandi suetos instituenda, videlicet verba parallela, materia, effectus aliquando & lex rei publicæ, mores & conditio promittentium, aliique ejus actus item quod res odiosa, quod favorabilis sit, advocari debent in subsidium.

25. Verba insanabiliter depravata, confusa, perplexa, sibi manifeste contradicentia, laborem interpretis frangunt, inutilemque reddunt.

26. Quandoque promissioni accedit sponsio, vel fidejussio, non alter fidem datam intuto collocat per vicariam personam tertii; nec non oppignoratio per traditionem temporariam rei meæ, in eundem finem.

27. Promissarius, quo illibata stet promissio, alterius promissum accipiat; nisi quod rogatio antegressa ejusdem rei, necdum revocata, acceptionis vim obtineat. Unde

28. Promissum quodvis, ante acceptionem est revocabile.

29. Promissio intercidit, illo mortuo, qui rem promissam accepturus erat, cui per li-

teras aut per nuntios rem nostram deferri volebamus.

Neque mortui hæredibus causa ulla præ-  
tendendi promissi relinquitur.

Nam ad mortuum, non ad superstites spe-  
ctabat promissio.

30. Itidem cadit promissio, si promittentis  
nuntius in via decesserit, neque promitten-  
tis voluntas, eo casu perferri ad alterum  
potuit.

31. Si nuntius a nobis sit lectus, ut pro-  
missum significet tantum, & ut perlator sen-  
tentia nostræ, licet promissum revocare, &  
tunc nostra revocatio ministro ablegato non  
debet innotescere.

22. Sin lectus ea mente ut promittendi  
jus ab ejus declaratione pendeat, atque ut  
ad certa præsupposita promittat, non valet  
revocatio, quam nuntius demum post fa-  
ctam promissionem accepit, & tunc revoca-  
tio illi debet innotescere. Nam jus promit-  
tendi tunc ab ipsius pendeat voluntate, quæ,  
revocatione nondum cognita, omni culpa  
carebat.

33. Onere promissioni adjecto, in gratiam  
tertil ante acceptionem, promissio revocari  
potest.

III. Promissa fiant de rebus suæ facultatis;  
quod ex jam dictis elucet, cum nemo con-  
sentire, nisi in rebus suæ facultatis, possit.  
Hinc,

1. Ne-

1. Nemo potest promittere, nisi intra terminos suæ facultatis, tum morales, tum phisicos, h. e. in rebus suis, & in quibus disponendi potestas ipsi non est adempta, vel prohibita. Itaque

2. Promissa de rebus alienis sunt nulla. Nisi promiserit, se effecturum, ut alter faciat, adeoque promissioni de facto alterius factum proprium promittentis implicetur. Tunc enim nihil debet omittere ex parte sua, quod ad explendum pertineat.

3. Promissa super rebus illicitis habentur nulla. Unde

4. Peccat illicita promittens; bis peccat illicita præstans.

5. Contra jus nat. nefas est promittere.

6. Contra interdictum magistratus legitimi nefas est promittere.

7. Promissa privati hominis de rebus sacris, religiosis, ac publicis censentur nulla.

8. Filius, sub potestate patria vivens, aut in statu civili, sub tutoria, ad promittendum inhabilis reputatur.

9. Sic servi, quæ tales (in statu adventitio) ad promittendum certa ratione inepti habentur.

10. Res, quæ jam in potestate mea non est, esse tamen aliquando potest, sub promissio-

sionem, eamque conditionatam: si ego eam possedero, cadit.

11. Promissio potest fieri in diem (definite) absque die (indefinite) item absolute, & sub conditione.

12. Promissa vires promittentis non excedant. Indeque nemo ad impossibile (naturaliter & moraliter) obligatur. Et res impossibilis dispositione humana exempta intelligitur. Conditioque impossibilis (per naturam & per legem) vim negandi obtinet.

13. Conditio possibilis, sive arbitraria (quæ ut existat, vel non, penes nos est) sive fortuita (a fortuna dependens) sive mixta, (cujus impletio a fortuna, simul & a nobis proficiscitur) promissionem non respuit.

14. Dolo, aut culpa res facta impossibilis, obligationi subjacet & promissor ad summum conatum & ad malum perferendum jure compellitur.

15. Casu autem res facta impossibilis obligatione liberat; damnum tamen reparari, vel tantundem restitui potest.

16. In re aliqua promittens operam omnemque ad eam præstandam movens lapidem fecit, quod suum erat, seque ita faciendo obligandi vinculo exolvit.

17. Per promissa perfecta jus nostrum in alium transferimus. Hinc

19. Qui semel de sua re disposuit, ille de ea.

eadem, in tali statu permanente, disponere amplius haud potest. Igitur.

19. Mutato rei illius, statu, prior facultas de ea disponendi reviviscit.

20. Jus alicui semel quæsitum per promissum, citra consensum, ejus ipsi auferri, & nova promissione in alium transferri nequit.

IV. Promissa agunt de dando, faciendo (a parte promittentis) & de accipiendo (a parte accipientis). Hinc

1. Separanda est assertio simplex & pollicitatio, a promissione perfecta. Illa animum liberalis declarat, alteri spem faciendo, ut cum dico: volo, tui commodi causa, ita aut ita facere. Vel hoc vel illud per me fieri potest. Ista (pollicitatio) alteri promittit, sed citra obligationem perfectam, ut cum aliquid polliceor, sed eo modo, ut id magis constantiæ & veritatis, quam justitiæ habeat vim: unde ad exigendum nullum jus promissario accrescit. Hæc (perfecta promissio) perfecte se obstringit promisso, alterique exigendi facultatem concedit. Patet.

2. Omnem præstationem perfecti potissimum promissi onerosam existere.

3. Temere promittere, & supra modum mensuramque facultatum imprudentis esse.

Asserere simpliciter beneficium aliquod, in

in alium conferendum, aut pollicitari verborum inani umbra, blandoque vultu, vanum ac temerarium, cum sola voluntas sine opera cadaver habeatur.

5. Promissa alteri noxia legi nat. refragantur.

6. Damnum culpa datum in promissis, rescircire oportet.

7. Promissa ex mera liberalitate facta valent.

8. Item ex metu reverentia profecta firmo stant talo.

9. Promissis quærentur ea, quæ frustra sæpe ab humanitate aliena sperasses, quia multos sua utilitas alio rapit.

## CAPUT V.

DE

## PACTIS.

§. 1.

**P**acta sunt conventiones hominum ex mutuo consensu ortæ, circa res suæ facultatis, de faciendo & omittendo.

I. Pacta sunt conventiones, vide Capite priori, quæ sub I. tradita sunt.

II. Pacta ex consensu mutuo oriuntur. vid. Cap. prior. II. Unde

1. Pacta tacita suo stant robore, etiam cum

cum pacto principali, ut aliquando fit, adherent.

2. Si quid erratum fuerit circa accidentia pacti, tunc agi potest ad id, quod interest, vel pro natura rei, ad pretium diminuendum.

2. Cum dolus consensum impediatur: dolo deceptus circa rem ipsam, aut pactum potest deserere; aut ab altero paciscente damni dati compensationem postulare.

4. At dolus circa rem incidens, non quidem invalidum reddit negotium; sed tamen damni compensatio postulari potest.

5. Pactio, cujus deceptionem suspicamur, valet, si pactio tempore adfuit metus vel suspicio.

6. Post pactioem metu territatus non prius ad præstandum quis adigi potest, quam fide ab altero in hujus securitatem obligata.

7. Pactus, in rebus pacti, se ad voluntatem alterius accommodet, necesse est.

8. Fides pactorum hanc habet limitationem, nisi rescissio pacti sit admodum nociva alteri paciscentium; alteri contra non nociva.

9. Paciscentium consensus ante pactioem utrique innotescat.

10. Quod si instrumentum obligatorium ad alterum perferatur, cujus interest, obligatio est firma; nisi ante perlationem instrumenti, moriatur Dominus. Mortuus enim

non



non potest disponere, & proinde cessat consensus.

11. Pacta obscura contra proferentem sunt exponenda. Adcoque

12. Nulla est obligatio cum pacifcente, qui obscure vel ambigue, vel non satis proprie atque ex genio linguæ, neque satis limitate locutus est. Ignoti nullus consensus esse potest.

13. Sique alter genium linguæ vulgaremque interpretationem secutus sit, ab altero pacti socio propterea argui non potest.

14. Pacta quoque sunt juris stricti & strictæ interpretationis, quorum consensus pacifcentium dirigitur.

15. Facto hominum consensu coalescunt pacta: facto (casu) hominum expirant pacta. Idque

Vel naturaliter, præstito eo, de quo erat conventum, & quidem ab eo, qui obligarat se, an ab alio istius nomine, nihil refert. Quemadmodum perinde est. is ipse, qui jus poscendi præstandum habebat, an alius istius nomine poscat & accipiat, nihil interest.

Vel per accidens, utroque pacifcente suum retinente, quod genus solvendi alias dicitur compensatio, seu crediti & debiti inter se contributio.

Vel per remissionem ejus, quod debebatur, sive id fiat aperte, redditis obligationum

sche.

Schedulis : sive tacite, cum quis inhibet præstationem debiti, unde de condonato debito liceat conijcere.

Vel per dissensum mutuum, re adhuc integra.

Vel per partis alterius perfidiam, cujus interventu ideo pactum abrumpitur, quoniam semper hæc inest conditio : præstandum esse, si alter quoque præstiterit.

Vel per pactum immutatum obligationis, idque utriusque paciscentium causa.

Vel tempore, quo pactum circumscribitur & ultra quem terminum non durat.

Vel denique morte, per quam obligationes personales extinguuntur, nisi quod quandoque superstites nomine ejus obligentur, recipientes in se defuncti obligationem, aut si bonis defuncti ea inhæret, ab hærede adimplenda.

Quam quidam hic addunt voluntatem superioris, eam ad officia magis in civitate observanda remittendam putamus.

16. Consentire omnibus licet, nisi prohibitio appareat, aut naturale objiciatur impedimentum, Adeo & Reges populique & privati inter se paciscuntur.

III. Pacta ineuntur de rebus suæ facultatis. Hinc præter ea, quæ cap. priori sub III. dicta sunt.

I. Si.

1. Sicut in re turpi & de re turpi pacisci nefas, ita turpe facinus peractum mercedem meretur nullam, ne conventam quidem.

2. Jamque in re turpi præstitum repeti non potest. Nam vitium rei nihil obligat.

3. Res præcepta proprie sub pactum non cadit. Si quis tamen suæ obligationis oblitus ideatur, per pactiōnis modum eam ad officium revocari, nihil obstat.

4. Prior paciscens antecedit posteriorem. Sic suonalia priora subsistant, repudiatis posterrioribus.

5. Omne pactum, expressum, tacitum, reale, personale, obligatorium liberatorium judiciale (in civitate) extrajudiciale, gratuitum, mutuum, mediatum, immediatum, naturale, (ex jure naturæ obligans) spontaneum in hominis facultate est.

6. Pacta vi expressa valent, quia conventio, etiam vi extorta, tamen persistit, nec rescinditur, si vis sit licita, eoque & poena cessat, sicuti pax omnis extorta valet.

At propter vim injustam id, quod jure subsistit, rescindi potest, non quod alter metu compulsus consenserit, sed quia in justam violentiam poena sequitur.

8. Metus paciscenti injectus a tertio, pactum non dissolvit.

9. Cum hoste inita pacta, pacis publicæ vel mali majoris avertendi causa perstant.

10. Dolus rei essentiam non attingens, nec

nec expresse designatus, pactionem non red-  
dit invalidam.

IV. Pacta fiunt de faciendo & omittendo. Unde

1. Differunt a promissis, in quibus ratio habetur promittentis, vel beneficium, vel officium, & accipientis, quoniam ille se habet ut operans & erogans; hic ut patiens & lucrans, & vel ultro sortitur promissum, vel sibi etiam expetit. At in pactis utriusque agitur æqualiter, & utriusque partis eadem dispositionis, actio intercedit, cum de negotio aliquo convenitur.

2. Qua de causa non male distinguuntur promissa a pactis, distinctiusque traduntur, tamen in plerisque eandem habere naturam videantur.

3. Pacta etiam a contractibus abeunt, si materias speciales amborum consideres, licet communi pactorum nomine ambo exprimi possint. Quippe contractus, de rebus in commercium strictè dictum convenientibus agit, quod de pactis strictè dictis non eodem modo valet.

4. Si rescindendo pacta alteri nociturus sis, alteri non, pactum rescindi potest.

5. Si alteri parti obsit rescissio, alteri vero perseverantia pacti; tunc penes illum erit, qui compensat alterius incommodum, aut destrui pactum, aut retineri.

6. Sin alter vel compensationem fugiat,

N

vel

vel ejus præstandæ facultate careat : tunc pactum persistet , etiamsi rescissurus majus commodum sentiat.

7. Etiam hoc jus pactis existimatur inesse, ne lædatur is, qui post pacta res suas aliter disponat.

## CAPUT VI.

DE

# PRETIO RERUM.

§. I.

**P**retium rerum est modus, quo illæ ad certam quantitatem exiguntur, et æstimantur. Hinc

1. Nihil huc pertinent, quæ ab humano censu prorsus eximuntur, ut illa, quæ non sunt in dominio e. g. æther, stellæ; quæ separatim non possidentur e. g. umbra terræ, ventus; quæ extra hominum commercia constituuntur e. g. res sacræ, libertas.

2. In cæteris hominum æstimationi subiectis, modo res cum re, vel opera cum opera permutatur, & vocatur pretium vulgare. Unde apparet

3. Vulgaris pretii difficultas atque molestia, siquidem merces non semper se exzquant, nec omnis res alteri accepta est, merces quoque ipsæ sua mole sæpe possessorem onerant.

4. Mo-

4. Modo pecunia datur, quæ virtute sua æstimationem rerum & operarum continet, & ad omnes merces comparandas æquiparandasque idonea deprehensa est; & pretium eminens appellatur.

5. Pretium vulgare vel æstimatur ad mensuram, qua res liquidas, & liquidis similes (ut frumenta) vel ad pondus, quo solida & dura, ve ad numerum, quo res metimur numerabiles.

6. Pretium eminens sola majestas in civitate determinat.

7. Pretium ipsum rei ostendit valor ejus, tam intrinsecus, quam extrinsecus. Valor intrinsecus in ipsa re inest, ut pretium auri. Extrinsecus est extra rem, ab hominibus ita æstimatam, ut judicium hominum de auri pretio.

8. Discernendum pretium civile a naturali. Naturale ipsa natura insinuat, in rebus ad vitam summe necessariis, imo quibus vita carere, nequaquam poterat, e. gr. aqua, cibus. Civile a judicio civitatis dependet.

9. Investigandæ causæ, cur rerum pretia nunc augescant, nunc decrescant; ubi sane ponderanda rerum raritas, copiæ desideratæ, inopia, necessitas, utilitas humanis usibus, sive publice sive privatim se accommodans; cujusmodi deficientibus, annonæ caritas ingruit.

10. Sed inter cæteras causas rerum taxandarum aliis præfertur indigentia publica, non saltem & necessitate vitæ, sed etiam & desiderio, libidine & cupiditate æstimanda, quæ incrementa capit vel maxima, partim frequentia usus, (nam quæ omnes fere desiderant facile exhauriuntur & carissima fiunt) partim comparandi difficultate, quæ non minus rerum pretia exauget. Unde sequitur

11. Quod indigentia rei in civitate, parem efficiat valorem rei.

12. Reique usus frequentior aut parandi difficultas major, pretium quoque in majus extollat, & inde immensa pretia pro rebus etiam in se exiguis aliquando impendantur.

13. Consideranda porro in artefactis subtilitas, artis elegantia, artificis gloria, artificii difficultas, dexteritas, necessitas.

14. Non penitus omiserimus iudicium amoris peculiaris, aut memoriæ singularis, aut casus alias insveti, quæ pretium affectionis dictum vulgo, afficiant.

15. Denique videndum, quo in statu vivant contrahentes, naturaline, an civili? Illic enim conventio & propria æstimatio largiore libertate pretium definit, quod naturale vel conventionale audit.

Hinc (libertati illi freno injecto) aut lex superioris, aut censura vulgaris constituit pretium. Illud a Principe positum dicitur legitimum; hoc communi usu receptum, vulgaris pretii nomine insignitur: Igitur

16. Le◀

16. Legitimum pretium, quod cum iustitia & æquitate congruere præsumitur, temerare civi nefas habetur.

Nisi quod in gratiam emtoris ( de sua re disponendi facultate sibi a natura concessa utens) venditor minus poscere; in gratiam venditoris ( ex eadem causa ) plus dare possit emtor, quam lege statutum fuerat, ea adhibita cautione, ut ne largitas illa cæteris mercatoribus fraudi sit, neue publico obsit propter legem sumtuariam, cujus gratia tale pretium publice destinabatur.

17. Ne autem pro mercibus probis materia vilis inhabilisve supponeretur, pretium ejusmodi esse debuit, ut ejus materia tum comparatu difficilis, tum partes ejusdem valoris, tum hujus non alterius usus, tum æstimatio ejus autoritatis publicæ opus esset. Jam si quis hæc quatuor cum aliis componit, nihil aptius inveniet metallo. Sique porro metalla conferat, solum aurum atque argentum numis cudendis supponi commodissime posse ( licet alia quædam contra excipi possint ) apparebit. Ut taceam diæta duo metalla flexibilia esse portatuque & custoditu facilia.

18. Ubi tamen in gente aliqua materia alia plus æstimatur metallis, illam cariorem pecuniæ loco assumi posse, modo ne alia obstant, per se intelligitur.

19. Quemadmodum, metallis istic destituti, in alia necessitatis telo adacti, abire possunt, ut antiquitatis exempla quædam demonstrant.



20. Sic calamitas publica vim obtinet necessitatis, nec corium, nec viliora etiam spernens pro pecunia. Quamquam superatis malis patriæ, inopiaque profligata, damnum ex eo immissum sanari genuina moneta debet. Ex eoque

21. Imperanti incumbit, statuere, quid vilituram putet pecuniam publicam.

22. Idem in numorum adulterationes abususque feverissime animadvertet.

23. Et numariis remedeatur damnis, incommodisque.

24. In vicinorum pecuniam convertat oculos, caveatque, ne census numarius vicinorum vel exaggeretur nimium, vel nimium extenuetur, neve ista mutatio sibi ac circumjacentibus detrimentosa evadat.

25. Privatorum non est, de judicio Principis bonitatem extrinsecam determinantis pecuniæ, disputare velle.

26. Pecunia hodie inter gentes, tanquam mensura rerum & æstimatio, recepta apprehenditur.

27. In pecunia numerata pretium, usura, merces hodie constituitur.

28. Nondum inventa pecunia, probabile est nihilominus emtiones invaluisse, inter gentes, nimirum consensu & pro mercibus obtinuisse res utiles, quibus absentibus vita hominis vix aut non sustentatur; pro pretio autem aurum, argentum, & hujus generis alia,

alia, quibus vitæ necessaria sibi compararunt, præcipue cum illa facile appendi potuerint.

CAPUT VII.

DE

CONTRACTIBUS.

§. I.

**C**ontractus est conventio hominum ex mutuo consensu ortus, circa res suæ facultatis in commercium venientes.

I. Contractus est conventio. Hinc

1. In omni contractu servari potest æqualitas, quæ tamen non præcise requiritur, cum ex dispositione voluntaria contrahentium, quam naturalis hominis dignitas infert, atque conventionis natura jus nascatur, etiam inæqualitatem admittens, secundum axioma: prout homo disponit, h. e. in terminis suæ facultatis constitutus declarat, quid fieri, vel non fieri velit: ita jus est.

2. Divisio in contractus onerosos & beneficos nihil erit necessaria, stante dicta dispositione, quæ conceptum oneris & beneficii non attendere videtur.

3. Commodè tamen, ex vulgari sententia, retinentur ista nomina ( onerosi & benefici contractus ) Quorum ille, alias bilateralis nuncupatus, utrique contrahenti injungit onus, ut videre est in permutatione, emtion-

venditione, locatione conductione, mutuo, societate. Hic (beneficus) alteri parti contrahentium gratis commodum comparat, ut apparet ex mandato, commodato, deposito.

4. Conventio contractuum consensum plenum deposcit, non vero minus plenum. Illo negotium perficitur. Hoc (minus pleno) saltem ad aliquid perficiendum convenitur, qualia ostendunt pacta de contrahendo, de emendo &c. ideoque

5. In contractibus consensus minus plenus nihil operatur.

6. Quasi contractus non ex consensu, sive tacito, sive præsumto, sed aliunde oritur, nempe ex potestate & ipso juris principio, quo homo alterius commodum curare tenetur.

7. Uterque contrahentium integre agat in hac conventionem, atque illibata sanctimonia.

II. Contractus est ex mutuo consensu. Hinc

1. Cum absque rei notitia consensus sit nullus, contrahentes ambos oportet scire, qualis res contractioni subiciatur.

2. Neque hic semper scriptura confecta & tradita requiritur. Nam istæ tantum instar monumentorum sunt in contractibus.

3. A contractu absit dolus omnis, qualicumque modo fiat, re, verbis, literis, sive circa ipsum consensum.

4. A contractu omnis quoque abesse debet violentia, omnis metus.

5. Con-

5. Contractus tamen vi initus aut metu ratur est, quoniam vis aut metus consensum non tollit; ut Principes interdum metu vicinæ potentiaæ foedera pangere videmus. Nec metus aut coactio voluntati, sed libertati opponitur. Unde

6. Promissa latroni pecunia debet solvi, ex promisso: Latro contra mihi satis facere, ob injustam coactionem tenetur. Et ego adversus eum jure omni possum actionem instituere.

7. Ad majorem confirmationem sæpe tria addi solent contractibus, fidejussor, pignus, hypotheca. Ille alieno debito succenturiatur, pro quo suam fidem interponit. Istud (pignus) ad securitatem creditoris dari solitum, per rem traditam. Hæc (hypotheca) per assignationem plerumque in rebus immobilibus, pertinet itidem ad securitatem creditoris, usque solutio ipsa insequatur. Patet, quod

8. Juri naturæ non repugnet fidejussio.

9. Homo omnis mentis sanæ perfectæque ætatis jure nat. pro altero possit spondere.

10. Sponsor talis creditori in subsidium obstringatur. Quare

11. Non Sponsor, sed debitor par solvendo, præsertim si facile adiri queat, adiri debet prius.

12. Principem obligationem in se recipiens

N 5

distin-

distincto vocabulo, non fidejussor, sed expromissor dicatur.

13. Si debitor solvendo non sit, magis prematur fidejussor, ob fidem interpositam, quam ipse debitor, idque tanto vehementius, si debitoris obligationem omnino in se recepit.

14. Plures fidejussores unius debitoris stant pro uno, & singuli, tanquam proportione attendita suam contribuunt ad solvendum debitum.

15. Ubi vero aliquis fidejussorum solvendo non sit, vel ejus habendi nulla sit copia: tunc reliqui quoque pro eo obligati sunt solvere.

16. Inter pretium pignoris & debiti aliqua proportio intercedat, ne multo majoris sit pignus, quam illud, quod debetur.

17. Pignusque creditor tam diu habet in manibus suis, donec ipsi satisfiat.

18. Interim pignora rei fructuosæ, vel infrugiferæ recipiendæ, in animis debentium merito excitet desiderium.

19. Res infrugifera, elapso oppignorationis tempore, vi pacti, in manibus creditoris remanet, si pignus exæquet debitum, aut omnino usura reddatur.

20. Creditoris quoque est, rem pignori concreditam tam sollicitè custodire, quam suam, neque debitore invito, eam usurpando corrumpere aut diminuere.

21. Hujus loci est pactum antichreticum, oppignorationi additum, cujus vi creditor

tor

tor ex re fructuosa oppignorata fructus usufru-  
rarum capit.

21. Item lex commissoria, per quam cre-  
ditoris fit oppignoratum, debitore non ad  
tempus dictum satisfaciente.

III. Contractus fit circa res facultatis, in com-  
mercium (speciali ratione) venientes. Inde  
locum habet

1. In emtione, venditione, qua res vendi-  
toris transfertur in emtorem.

2. In permutatione rerum, cum res vel sim-  
pliciter, vel loco pecuniæ, in vicem tradun-  
tur.

3. In locatione, conductione, cum alter  
sua rei usum aut operam addicit alteri, ea  
mente, ut mercedem a conductore accipiat.

4. In mutuo, cujus contractus vi nostra  
res, præsertim hodie pecunia, alteri datur, ea  
conditione, ut intra statutum tempus ean-  
dem rem, & quidem eadem quantitate &  
qualitate ab eo recipiamus, seu gratis, seu  
cum emolumento.

5. In antichresi, quæ non est pignoris quæ-  
dam species, sed nudus rei usus, seu usus nudi  
præstatio pro credito, & sic contractus: do,  
ut facias. Et datur non in securitatem de-  
biti, sed in vicem usufruuarum; sicut vox ipsa  
Græca rei cuiusque usum pro alio debito si-  
gnificat.

6. In deposito seu re alteri in custodiam  
tradita, eo usque, dum a legitimo domino re-  
poscatur.

7. In

7. In mandato, quo quispiam alterius negotium expediendum suscipit.

8. Commodate, cum rem nostram gratis alteri utendam damus.

9. In contractibus ab eventu suspensis, quando singuli se casui fortuito, aut potius eventui a Deo directo subjiunt, spem inter & metum, fortunam expectantes. Ut sunt contractus aleæ, emptio spei, emptio rei sperata, affecuratio, sponsiones, lotaria, olla fortunæ.

10. Ex eoque valet justa & plena dispositio contrahentium, qua rebus actibusque suis legem dicunt, & utriusque voluntas æque deposcitur, ut uterque velit, & uterque libere de re præsentis statuatur.

Hinc

11. Dispositione alterius violata, quod ordinarie fit per læsam proportionem, quæ nisi aliter dispositum fuerit, est inter mercem atque pretium ejus, alteri satisfiat oportet.

12. Graviterque circumvento emptore, emptio venditio erit nulla.

13. Idem sentias, venditore circumvento, cum e.g. probona moneta defertur adulterina.

14. Tunc uterque suum, emptor pretium, venditor mercem potest recipere.

15. Quam in rem venditor rei defectus, vitia & incommoda sibi nota indicet; nisi forte jam manifesta sint, & præ oculis, aut rei substantiam non attingant.

16. Si

16. Si emptio venditio in diem certum suspenditur, ob spem melioris emptionis aut venditionis, elapso illo termino, siquidem melior conditio emptionis & venditionis se non obtulerit, prior emptio venditio subsistit.

17. A solutione certi diei si pendeat emptio venditio, si alter interea non solverit, contractus non subsistit.

18. Si pretium emptori restituendum intra certum temporis spatium, & restitutio facta sit, valet pactum de retro vendendo.

19. Si emptor rem iterum sit venditurus, venditorque iteratae emptionis prerogativam pactus sit sibi, pactio firma manet.

20. Si vendens rei venditae particulam, locum usumve aliquem sibi exceperit, ratum est, quod venditioni adjectum reperitur.

21. Speciatim in auctionibus is, qui ex licitantibus plus, quam alius, obtulerit pretii, emptor cluit. Nam id natura hujus contractus secum fert.

22. In permutatione rerum, res componentur cum rebus, & inde aequivalens utrinque, ex ipsa natura, aut si aliter dispositum, minus aut majus alteri pendatur. Ex quo permutationis patet molestia, simulque necessitas, ante nummos inventos.

23. Quam ob rem plures incommoditates ab hominibus sustulit nummorum inventio.

24. Et passim quidem sublatas permutationes videas, sed non penitus, usu ejus praecipue



pue apud mercatores subinde revirescente.

25. In locatione conductione, si quis alterius re operave sit usus, pensio debetur ea, quæ convenit, quamque communis ratio & consuetudo postulat.

26. Ubi igitur nullus est rei usus, ibi etiam pensio nulla.

27. Si usus definitus fuerit, quod est domini facere, ne destinata commoditate privetur conductor, si quid casu vel facto hominum deminutum sit ex illo rei usu, conductor dispositionem æqualiter factam pro se allegans, tantundem de mercede detrahit, quantum subtractum fuerit debito usui.

28. Re conductitia pereunte, conductor ad mercedem pendendam haud amplius tenetur.

29. Sic casibus intervenientibus, qui rei conductæ lucrum valde minuant, mercedem remitti æquitas svadet; nisi aliter dispositum casusque conductor in se receperit. Et sane unius anni sterilitas aliorum annorum ubertate, vel rerum plurium uno contractu conductarum, compensatur.

30. Totum utendum, qui accepit pro lege dispositionis, totius solvat mercedem.

31. Partem duntaxat pro conductione sumens, partem præbet pensionis.

32. Facta vel corrupta in re conducta, & quidem conductoris culpa, a conductore restituantur integritati suæ, tanquam a patre familias.

33. In

33. In opere faciendo restitutio perinde est in officio.

34. Operam momentaneam facturus alteri, sed impeditus, nihil fert mercedis.

35. Iniquum, impedimenta operæ continuæ mercedem quoque operantis impedire.

36. Artificialium operarum communicatione evalescente, jurè a singulis in solidum merces deponitur.

37. At artificiis ejusmodi non evalescentibus, si solus aliquis tantum pro communicatione solveret, quantum solverent plures: invito eo alii admitti non possunt; nisi, pacifcente eo, ratas partes honorarii cæteri contribuant.

38. Usu evenit, locationem conductionem renovatam censeri, si tempore elapso, quod dictum erat in contractu, conductor nihilominus rei locatæ usum continuat, non contradicente quidem locatore.

39. In contractu mutui pro ratione dispositionis factæ, idem corpus, vel ejusdemque generis in numero, pondere, mensura & bonitate consistens, debet reddi.

40. Pariterque usuræ licitæ, quæ scilicet ejus, quod interest, rationem habeant, exigi, accipi que jure possunt.

Nam si rem ad verum exigas, usuræ nihil aliud sunt, quam merces in locatione. Usus enim pecuniæ meæ translatus in alium, facit, ut ego caream commodo & mea re utens,  
meum

meum mihi damnum reparet, jus fasque habeatur.

41. Quod quidam inde colligunt, usuras usurarum jure nat. non esse illicitas; ei equidem haud statim assenserim.

42. Uti ex fundo, jumentis, domo mea lucrum moderabile capere nihil prohibet: Sic moderatione debita adhibita, idem licebit, ex pecuniis meis, praesertim ob damnum re- pensandum, quod creditor, sua pecunia ca- rendo, interea patitur, & ad compensandum lucrum, quodidem, sua pecunia non usur- pando, non facturus erat, inter quæ damna non postremum, illud sortis amittendæ pe- riculum.

43. Ubi tamen ab egentibus poscantur usuræ, non inscite mordentes hæ dicuntur, morsibus impetentes creditorem, indolem lubrici hujus negotii parum integre sancte- que pensitantem.

Hinc

44. Caute & necessario leges civiles usu- ras metiuntur & dirigunt.

45. Et usuræ pauperibus remissæ mentem generosam, piamque misericordiam loquan- tur.

46. Et montes pietatis in se haud vitupe- rabiles, cum pecuniam a ditioribus in com- mune collatam, pauperibus pro pignore ali- quo mutuum præbent, ministrisque horum montium pro curis suis lucellum erogant.

47. An-

47. Antichresis limitibus justis, ex arbitrio concedentis, circumscribitur: eos transilire, est justitiam transilire.

48. In deposito custodiendo per dispositionem deponentis & depositarii, terminus constituitur depositi.

49. In suum usum convertere depositum, domino non consentiente, injustum, sive ei usus aliquid deterat, sive non.

50. Usus ergo deposito damnidati reus compensationique fit obnoxius.

51. Etiam depositarius culpam præstet, si in periculum veniat depositum.

52. Domino reposcente suum, abscissa omni mora reddatur, nisi reddere ipsi reposcenti noceat.

53. Abnegatio depositi deformem oppido arguit malitiam, cum justitia amicitias perimentem.

54. Nec male sentias, in hoc crimine furtum turpissimum, & turpitudinem furtivam contineri; potissimum si depositum sit miserabile h. e. ob periculum incendii, ruinae, tumultus alteri commendatum.

55. Contra ea vir justus rem apud se depositam & religiose asservat, & sollicite, quantum in se servat, & mature & sine noxa restituit.

56. In mandato, qui semel fidem negotii curandi dedit, fidem datam vereatur fallere. Etenim illud fidem mandatarii integritatemque requirit. Unde

○

57. Man-

57. Mandatarius rem alienam peræque ut suam curet, licet eam gratis, altero commo-  
dante in se receperit.

58. Modum a mandante declaratum vel proscriptum ipsum, non alium usurpet.

59. Modo non præscripto, sed arbitrio mandatarii relicto, rem tractet, ut suam, vi-  
gilanter, prudenter, feliciter eam exequen-  
do.

60. Impensas vero ad negotii requisitas administrationem, refundatis, qui mandavit.

61. Hic ipse refarciat iucturas mandatarii, in suum negotium conficiendum factas.

62. Incommodo usum commodatæ rei advoluntatem commodantis is, cui commo-  
datur, accommodet.

Unde

63. Concessa in usum beneficium non atte-  
rantur, non corrumpantur, non deturpen-  
tur, sed diligenter servantur.

64. Haud decet ultra statutum terminum, nisi consentiente domino, retinere commo-  
data.

65. Non aliis, sed his usibus, quibus desti-  
nabantur, commodata inserviant.

66. Eadem restituantur integra, imo illæ-  
sa, uti erant tradita in commodum, excepto  
eo, quod usus ordinarius fert secum, quasi que  
limitat.

67. Tempore commodati nondum elapso,  
si dominus ipse re sua opus habeat, eamque

a commodatario repetat, hic confestim & promte reddat suum domino.

68. Re vero citra commodatarii culpam perdita ( ut fit in incendiis ) cum pariter apud dominum peritura fuisset, ille ad restitutionem non obligatur.

69. Si autem apud dominum interitura non erat, valet restitutio, ne suæ rei comoda liberaliter dispensanti suum officium noceat.

70. Sic & impensas in rem commodatam necessario & utiliter factas, rependi commodatario par omnino videtur.

71. In Contractu alex, sive is ludentem ad incitas redigat, sive locupletet, ob dispositionem liberam de re sua, nemini fit injuria, neque canem jaciens conqueri potest de collatore jaciente Venerem.

72. Res in eventum deposita, vel promissa jure in manus potestatemque victoris venit, sive ludus arte sola, sive fortuna sola, sive utroque & ingenio & casu temperetur.

73. In emtione spei, cum spes est loco rei venditæ, puta, cum aliquid emitur, unde utrum aliquid lucraturus sit, nec ne, in ambiguo est ( ut si emas jactum retis ) nihil habetur ex dicta dispositione, injustitiæ.

74. Emtio rei speratæ, quæ conditionem fructus nascendi involvit, differtque ab emtione spei, quod illa spem nudam boni eventus, hæc etiam cum spe rem bene eventu-

ram respiciat ( ut si emas fructus arborum adhuc florentium ) nihil in se habet vitii, nihil injusti. Unde

75. Nullis fructibus natis, pretium non debetur.

76. At natis saltem aliquot, pretium debetur integrum.

77. Contractus affecurationis, cum quis periculum forinsecus accedens mercibus in se recipit pro certo pretio, jure approbatur, si tum affecurans, tum affecuratus ignorent, hic quidem suas naves jam periisse, ille vero portum easdem jam appulisse. Inde

78. Magnitudo periculi nunc majus, nunc minus postulat pretium.

79. Et hic contractus est nullus, si affecuratio in praesens vel praeteritum sit concepta.

80. Sponsiones, de veritate vel eventu alicujus rei contendentes, utrinque spondentes suspendunt, utpote qui aliquid promittunt aut ponunt, ut bene conjicienti, tanquam victori cedat. Quo circa.

81. Sponsiones tales super causa honesta suscipiantur.

82. Et circa eventum utrinque ignotum.

83. In lotaria, mercem pluribus sortito exponente pro collatitia pecunia nititur eadem facultate disponendi. Unde

84. Pecunia hoc animo collata ordinarię valorem mercis non excedat, nisi aliud placuerit.

85. Qui.

85. Quilibet acquiescat sortis iudicio.

86. Victor, si ita ante sortitionem convenerint, ex iustitia; si non convenerit expresse, tacite & ex consuetudine non infrequenti, vel ex æquitate, reliquis una sortitis aliquid recreationis largiatur.

87. Libertatem disponendi lotariæ privatæ emtori & venditori permittunt eam, quam jus nat. & leges patriæ, vel populi consuetudo concedunt.

88. Lotariæ publicæ (in civitate) absque consensu imperantium confieri non possunt, nisi de iisdem jam ante lege publica cautum sit.

89. Est vero moderatoris superioris, aut plane non concedere lotarias, aut certe videre, ne fraus subrepat, idque vel symbolorum numero, vel mercis mutatione; vel extractione vel collusionem, vel mora, & similibus.

90. Sortitoribus per collusionem defraudatis non urnæ sortiali, aut ollæ domino, sed consortientibus debetur restitutio, resque illa vendenda, quo defraudatis ejus pretio factis fiat; vel pecunia inde comparata sorti subijciatur denuo, aut etiam res ipsa, si extet.

91. Fraudatorem, quia sortem aliam meliorem poterat extrahere, poenam suæ fraudis sentire, justum est; idem tamen propterea ab iteratione sortis non videtur arcendus.

92. Emtores & venditores de stipendio mi-



nistrorum sortis disponendi facultatem habent, ne emturiis id oneris detur.

93. Nec in venditorem, sed in emtores recidunt sumtus, quia ad hos spectat lucrum, & propter sortitionem ementibus lucrosam impensæ fiunt, sortique inhiantes sortis divisionis contractum inierunt. Nisi venditor alias institutoribus suas merces venum exponere non potuisset. In qua tamen controversia solvenda tutissimum erit, consuetudinem rei publicæ attendere.

94. Magistratus aliquid subtrahere potest aut emtori, aut venditori aut utrique una, in gratiam pauperum, quorum onus hac liberalitate levatur.

95. Princeps etiam, ob necessitatem publicam, lotarias & ollas fortunæ institueri potest, ad æs alienum regni commodius reddendum.

96. Sique alii civium suorum contractus fortunæ exerceant, potest idem, & pauperibus, & rei publicæ pauperi portionem detrudere lucri, imo & sortitionis pretia in eandem rem extendere.

97. Res sorti jam exposita non amplius in potestate venditoris est, sed emtorum, utpote quibus in eam jus est quæsitum, ex quo suas symbolas contulere. Hinc

98. Venditor alteri nequit addicere, quod alteri jam venditum est.

99. Aliter sentiendum, re sorti nondum ex-

po-

posita, quæ tradi potest ei, qui plures symbolas contulit.

100. Olla fortunæ allicit homines in|forti-  
tionis societatem, posita lucri spe, soluta cer-  
ta pecunia. Itaque

101. Schedulæ sortiales, ne venditoris ne-  
quitia accipiatur damnum pro lucro, non ad-  
modum rerum propositarum pretium exce-  
dant.

102. Fortunam novercam patienter fé-  
rat, cui illa minus favit, seque spe sola sole-  
tur, quæ tanta erat, ut etiam maximum in ol-  
la pro minima sua pecunia potuerit indipisci.

## CAPUT VIII.

DE

# SOCIETATE CONJUGALI.

§. I.

**V**irilis atatis homo, genus suum aliis cre-  
atis longe anteponendum, ob mortis  
necessitatem, absque propagatione  
sui intercidere intelligens, præterea flagran-  
tissimo amoris stimulo in diversum sexum  
ductus, ex conjunctione cum diverso sexu  
sobolem quærit. Eaque conjunctio appella-  
tur societas conjugalis, matrimonii, conju-  
gium. Sicigitur Conjugium est status ma-  
ris & foeminæ legitime conjunctorum, ob  
procreationem sobolis.

O 4

I. Con-

**I. Conjugium est status maris & foeminæ conjunctorum. Ergo**

1. Mas & foemina copulentur.
2. Vetatur libido in eundem sexum ruens, & congressus Sodomitici.
3. Commixtio hominum cum brutis.
4. Foedæ pollutiones omnes.
5. Matrimonii usus naturalis ab utroque sexu pendet. Hinc
6. Connubia petere licet etiam a vicinis populis, & si foeminæ domi deficient, necesse est.

7. Si denegetur foeminarum communicatio, capere violenter licet.

8. Sique raptæ injuriam interpretentur, aut raptarum cognati, bello vindicaturi, pro tali raptu bellum geri potest.

9. Concubinatus prolis suscipiendæ causâ factus, & matrimonium ad morganaticam in vitæ consuetudinem individuum pro veris matrimoniis habentur naturaliter. Si concubinatum exponas non illud consortium, cum ad tempus aliquod concubina assumitur, ( hoc enim illicitum habemus ) sed eam consociationem, quam mutuus affectus alit non deserendi, cumque aliis non cohabitandi, quæ consociatio firmior evadit, cum ab invicem recedi non potest propter arctiorem obligationem, ex statutis & moribus locorum.

10. Bene Mettellus ad Populum Rom:  
apud

apud Gellium: Si, inquit, sine uxore possemus, Quirites, esse, omnes ea molestia careremus; Sed quoniam natura ita tradidit, ut nec cum illis satis commode, nec sine illis ullo modo vivi possit: saluti perpetuæ potius, quam brevi voluptati, consulendum.

11. Polygamia viri successiva licita est, h. e. uni viro, unam uxorem, & hac defuncta, alteram, & sic porro alteram, fas est ducere.

12. Polygamia viri jure nat. illicita non est, seu unus vir in statu naturali simul plures uxores potest ducere.

13. Pulchre Xenophon: Deus statim naturam præparavit, foeminae quidem ad operationes & curationes interiores s. domesticas, viri autem ad opera & curationes externas.

14. Quilibet matrimonium contrahere potest cum qualibet, dum ætas animique inclinatio non refragentur. Et sic per contrarium.

15. Quivis, aut quævis coelibatum, potest eligere, cæteris paribus, præcipue ob continentiae studium: Quamvis alias, si commoda, inde provenientia pensitentur, conjugium præferri debet coelibatui.

16. Notanter Gerhardus de conjugio Patrum differit, cum horum concubinas dicit non fuisse scorta impura, sed veras & legitimas uxores, licet secundarias, quas affectu quidem maritali, sed sine legalibus instru-

O s

men-

mentis privatim esse ductas, ac natos ex illis liberos certis legatis contentos esse oportuisse, hæreditate ad uxoris, vel uxorum primariorum liberos devoluta.

**II. Mas & foemina legitime junguntur in matrimonium.**

1. Ejus fundamentum existit consensus. Unde
2. Stuprum violentum non est conjugium.
3. Mente capti, furiosi, extreme ebrii, a pacto conjugali segregantur.
4. Error circa substantiam matrimonii (aut circa sexum aut impotentiam incurabilem) tollit nuptias.
5. At circa Accidentia ( ut circa ætatem, pulchritudinem, divitias, dignitatem, ingenium, artem, facundiam ) ubi erratum fuerit, subsistit matrimonium.
6. Similiter error circa personam ( ut Sempronia pro Caja ) non solvit conjugale vinculum tori, nisi ea conditione adjecta, ( Si mihi pro Sempronia detur Caja ) Nam ante conditionem impletam pactio talis non erit rata.
7. Dolus circa primarium finem conjugii commissus dissolvit conjugium.
8. At circa secundarium finem ( mutuum adjutorium ) commissus non dissolvit conjugium.
9. Metus & violentia irritum reddunt matrimonium, nisi subsequens congressus con-

ju-

jugalis, qui consensus infert præsumtionem.

10. Cumque vir dignitatem suam cum foemina componens, videat, utramque excellentiæ humanæ congruere, nisi quod mas antecurrat foeminam, præstantia sexus, potestate majore circa vires animi corporisque ut foemina in maris, non hic in illius auxilium conditus videatur: inde matrimonii auspiciū penes marem esse cognoscitur.

Hinc.

11. Vir conjugii foedus initurus, prior hoc petat a foemina.

12. Sanguinis tamen & affinitatis nexus ob reverentiam certe naturæ, familiarumque evitandam confusionem, impedit, quo minus promiscua societatis hujus electio fiat.

Inde

13. Inter eos, qui sunt ejusdem familiæ matrimonium confluere nequit, nisi quis jus, ordinem, officium ejusque membri, jus educationis, onus alimentorum, jus successio- num, nomina, officia familiæ confundere tali propagatione, insuper habere audeat.

14. Adeoque hoc stante fundamento, jure nat. prohibentur nuptiæ.

Inter parentes & liberos s. inter ascendentes & descendentes ( in linea recta ) in infinitum.

Inter fratres & sorores ( in linea collaterali. )

Inter eos, qui parentum & liberorum loco sunt,

sunt, ( ut inter novercam & privignum, nulum & focerum, patruos & patruales, moralia estimatione.

Inter affines in linea recta, nam in talibus non nova constituitur familia.

15. Prohibitionem reliquorum graduum in consanguinitate & affinitate jure positivo naturali Deus determinavit.

16. In matrimonio putativo, quando quis ignorans ( ignorantia invincibili ) & bona fide cum filia, aut quæ cum filio contrahit nuptias, non peccatur ( formaliter ) contra jus nat. neque proprie & moraliter incestum committi eo pacto dici potest.

17. Dissolvitur connubiale foedus jure nat. per dissensum.

18. Optime tamen sancitum est legibus Christianis, ut dissolutio talis non valeat.

19. Violatis matrimonii capitibus præcipuis, divortia jure nat. licita habentur.

Hinc

Desinit fides matrimonio conservata.

Ob debiti conjugalis denegationem, ob adulterium, grave illud peccatum, spolians alterum eo jure, quod habet in corpus alterius. Quod tamen Polygamiam uxorum admittentes, saltem ad maritas restringunt.

Ob malitosam desertionem.

20. Talis ergo desertor non est, nec hujus loci

Redux ecaptivitate ad tori sociam.

Fu.

Fugiens cum animo revertendi, ob causam civilem.

Aut ob sævitiā alterius intolerabilem secedens, idque aut respirandi, aut malum componendi, aut emendandi gratia.

Sævitiā apparentem tentans ob corrigendos alterius mores, quam tamen altera confors matrimonii maligne interpretatur.

21. Pactum matrimonii, ut sit legitimum, nititur jure reciproco, datque marito potestatem æqualem in uxoris corpus & vicissim uxori in mariti corpus; hoc tamen ordine, ut major resideat in uxore verecundia, ob teneritatem sexus.

22. Consensio matrimonialis utrumque paciscentium usque ad mortem devincit mutuo, usque adeo, ut morali æstimatione duo fiant unum.

23. Hoc vinculum conjugale aliud ex se producit vinculum amicitie ac familiaritatis.

24. Juxtimque perpetuam cohabitationem.

25. Omnisque fortunæ, sævæ, temperatæ, communionem.

26. Denique bonorum quoque & possessionum communicationem, eamque ex natura ipsius pacti, certe naturalis æquitatis, & spe liberorum communium quidam Doctores deducunt. At qui per nuptias nihil acquiri tradunt, nisi propagationem, ii ex dispositione derivant.

Quod maritus uxorem alere non sit obligatus



gatus, nisi ipsa semet alere haud possit.

Quod cessante dispositione neque marito in uxoris, neque uxoris in mariti bona quicquam juris competat.

Quod marito non suppetat dominium in uxoris res, licet usum fructum illi concedere naturæ consentaneum videatur.

27. Matrimonium in se expirat per mortem partis alterius, aut, ut fit, utriusque simul.

28. Et tunc superstes alteruter obligatione maritali solutus est.

29. Qui a dissensu mutuo vel partis saltem alterius, dissolutionem matrimonii perdere asseverunt, nimis frigide de hoc vinculo sentiunt, & effreni licentiæ januam adaperiunt, liberorum etiam susceptorum salutem contemnunt.

30. Pejus favent animis statuentes, dum altera foederis hujus pars suo juri renuncia-verit, ad secunda vota transire integrum esse alteri.

31. Quod attinet ad conjugia liberorum ut istis sua stet autoritas,

37. Parentum consensus jure nat. non videtur requiri, ad valorem matrimonii, cum liberi de suis rebus disponere possint, eo quod filius naturaliter ex patris potestate exiit.

33. Faciunt tamen liberi honeste & æquus si parentum consensum sollicitent. Quem ubi non impetrant, idque vel ex justa & præ-  
guant

gnanti causa, liberorum est, monitis salubribus non refragari, sed potius obtemperare. Vel inflectendus parentum animus ad odium aliumve affectum deponendum, ut non invitis illis nuptiæ fiant.

34. Si nihilo secius inexorabiles manent, aut pertinaces, & rationes magis ponderosæ præsens conjugium svadeant, utantur liberi jure sibi a natura concessio.

Itaque

35. Parentes quicquid hic agunt, ex amore & prudentia agant, neque absque causa gravi consilia instantis conjugii intervertant, vel interrompant.

36. Liberi autem parentum consiliis auscultent, si æqua fuerint.

37. Ex dictis patet, matrimonio legitimo repugnare Bellicatum, uxorum permutacionem, communionem, adulteriũ, incestum, Sodomiam, Venerem prodigiosam in marem, in foeminam.

III. Conjunctio maris & foeminæ ob procreationem sobolis instituitur. Hinc

1. Universo generi humano, ad propagandam imo & augendam progeniem tam nobilem hominum, matrimonii contrahendi lex insita est,

2. Et potentia debita instructus naturæ ob sobolem prognerandam matrimonium colere, quantum in se, debet.

3. Nisi singulari dono continentis præditus,

tus,

tus, in coelbatu vivere malit; ubi Deo hominibusque melius inserviat, sibi que vivat.

4. Aut nisi aliquis ab omni fortuna destitutus, copiam commodioris conditionis expectaturos, uxoria re, aut maritali jugo abstinerere velit, sua non carpenda impulsus prudentia.

5. Et foemella similiter pro conservando genere humano intenta sit, quamvis matrimonii effectus non sit penes ipsam, sive ipsam pariendi facultatem, sive sterilitatis experientiam ante eventum adhuc incognitam, consideremus.

6. Uterque mas & foemina, finem primum matrimonii intendant, atque ad sobolem producendam, sibi mutuo succurrant.

7. Abortum procurare injustum.

8. Infantem natum exponere, idem injustum.

9. Foeminæ pluribus maritis una nubere, ne proles desit, aut ne incerta sit, nefas.

10. Utroque conjugum maturitas ad generandum necessaria adsit. Hinc excluduntur.

11. Infantes, pueri teneri, & omnis ætas generationis incapax.

12. Senes decrepiti, quibus generandi vis elanguit, vel emortua est.

13. Omnes impotentes, si impotentia sit incurabilis,

14. Ana-

14. A natura laborantes defectu generationis.

15. Sectione humana, morbo violento, facti impotentes (ut Eunuchi, castrati, spadones, morbo inhabiles.)

16. Foeminae angustia immedicabili impotentes. Nam impedimenta curabilia non rejiciunt nupturientes. Unde

17. Divortia ex causa impotentiae conjugalibus sunt licita.

18. Et proinde se de novo novis nuptiis initiare minime nefas est parti innoxiae, bene tamen noxae, ne impofterum aliquem decipiat.

19. Negligunt metam directam conjugii, qui, durante eo, perpetuam virginitatem volunt, ut Henricus, Imp. & Kunigundis, Egfredus Anglorum Rex, & Emeltrudis, Boleslaus Polon. Rex & Kunigundis.

19. Nemo potest cogi ad matrimonium, & quod coactione conglutinari debuit, jure habetur nullum, excepto necessitatis extremae tempore, quo virgines respuentes hoc jugum Princeps potest adigere, non ut praecise huc aut isti, sed ut cuicumque pro lubitu nubant.

20. Ut autem foecunditas prolis commodius & tutius, quoad hoc in viribus positum est humanis, expediatur: maritus quidem sese caput esse uxoris, uxor autem sese sociam lecti genialis & vitae totius esse mariti co-

P

gi-

gigent. Illum sua audacia atque robustas, hunc natura debilior & subtimida sui quemque officii admoneat, nempe

21. Mariti esse uxorem diligere, regere, ut parem, moderate, nutrire, si ratio pactorum aut necessitas postulet, aut certe ex virtute, defendere ab omni injuria, foris acquirere, quod domi cum uxore consumat, facere, ut conjux mariti radiis læte & feliciter corruscet.

22. Uxoris esse, Maritum amare, honorare, ei obtemperare, mutuuum auxilium in sobole educanda, in re familiari curanda præstare, a marito acquisita custodire, in utraque fortuna se sociam præbere fidelis, neque maritum manu furtiva defraudare suo.

## CAPUT. IX.

DE

# SOCIETATE PATERNA.

§. I.

**S**Ocietas paterna est status ex conjugio ortus, parentes obligans ad sobolem, ex se natam, bene educandam.

I. Est status parentes obligans. E.

1. Ambo ut progenitores pertinent ad liberos, siquidem ambo ad opus generationis concurrentes, prolem sibi similem gignunt h. e. talem foetum, qui dignitate humana animantia reliqua diversæ naturæ omnia superat.

2. Jus parentum in liberos quidam deducun

cunt ex generatione. Quibus opponi potest, quod ex generatione ad dominium argumentum institutum nexu sat firmo careat.

Quidam ex dominio oriri ajunt, quasi natus homo sub ejus statim redigatur potestatem, qui in eum primus inciderit; ut matris jus potius, quippe cui partus editur, aut etiam patri cedat generanti e semine suo, & dominium in generatum sibi vindicanti.

At homines sic forent in patrimonio, uxores quoque ad maritos relatæ essent in patrimonio nostro.

Quidam ad fructum ventris provocant, quando filii portiones sunt paternorum maternorumque viscerum. Quod de foetu adhuc in utero matris clauso, non jam edito, dici potest.

Nonnulli hac in demonstratione ad pactum præsumtum & tacitum confugiunt, quasi liberi tacite consensissent in potestatem patriam, ne incuria, atque inedia interirent. Enimvero ubi est tale pactum? aut quis pepigit ita? aut unde conjectura taciturnæ consensionis repetetur?

Qui parentum voluntatem hic nominant opera conjugalia ad producendam sobolem exercentium, & ex actione hac sua jus aliquod ostendere conantur in procreatos liberos, rem propius tetigisse mihi quidem videntur. Sic enim ex actione sua, cujus

P 2

sunt

sunt domini, parentes non modo generationem & nativitatem, sed annos maturitatis in sobole etiam respicere oportet, donec liberi se ipsos regere & suum genus, exemplis patrum insistentes, propagare valeant, ita ut genitura veluti continuatio generationis haberi debeat, quam intendunt parentes ambo gignentes, ut in brutis quoque cernitur, & sic ex instituto naturæ, quæ homini insuper hanc dignitatem apposuit, ut non saltem enutrire & educare, brutorum more, sed & ut hominem enutrire & educare velint parentes, quæ dignitas naturæ prolem negligi non finit, sed volente Deo sic intendit has curas, ut homo Deo consecratus, hominibus utilis sibi que commodus atque honestus evadat.

3. Ambobus æquale competit jus, si ad liberos referantur, ad curandos liberos.

4. Si vero inter parentes disceptatio oritur, jus matris cedit juri patris, qui & in uxorem habet imperium, quod quidem non ex dignitate humana simpliciter, sed ex prærogativa maritali huic superaddita profluit. Quippe utrique parentum collidentium simul obediri non potest.

5. At, patre defuncto, ad matrem devolvitur paternam prærogativam, eo minus dubitandum, quo certius est matrem hanc patris vicem subisse.

6. Ad.

6. Adoptiones quoque liberorum non repugnant naturali juri, & a foemina æque ac a matre licite observantur.

7. Parentibus pauperibus, aut non amplius existentibus propter fugam vel ablationem violentam, vel per mortem, succedunt avi aviæque, in quos eadem, quæ in parentes ipsos diximus hætenus, utique conveniunt.

II. Societas hæc ad bene educandum obligat.

1. Quo magis curare oportet, non modo ut vivant, sed & ut bene vivant, liberi. Hiñc opus est

2. Nutritione ad vitam naturalem.

3. Institutione ad vitam moralem.

4. Locupletatione ad vitam socialem vel civilem.

5. Prima cura nutriendo absolvitur. Unde Foetum conceptum in utero materno custodiant.

6. Adeoque foetum & juri nat. adversum abortum procurare.

7. Mater præcipue embryonem, naturali vallo alias munitum satis, tueatur, ne foris aliqua læsio accedat foetui nocitura.

8. In lucem editum parentes non aut abjiciant, aut deponant, cui rursus jus nat. reclamant, sed tollant & educant, tanquam imaginis suæ specimen, corporis sui portionem, bonorum suorum successorem.

9. Et matribus gravissime malitiam affri-



cat, Gellianus ille Favorinus: Quid est hoc, inquit, contra naturam imperfectum atque dimidiatum matris genus peperisse, ac statim ab se abjecisse. Aluisse in utero sanguine suo nescio quid, quod non videret; non alere nunc suo lacte, quod videat, jam viventem, jam hominem, jam matris officia implorantem? Hinc

10. Jus vitæ & necis sibi vindicare velle in liberos, æque a jure nat. abhorret, ac modo dicta.

11. Porro victum & amictum, quæque naturalis ratio & tenerrimus ille parentum in liberos amor, dignationis humanæ index, & cum brutorum instinctu non sane comparandus, dictat officia homini nato necessaria, parentibusque insinuat, promte libenterque, & ex obligatione perfecta, necessario exhibeant. Quæ etiam illegitimo nativitate coitu debentur.

12. Præterea eos ab omni periculo, quantum in se, abducant, noxas averruncent, ab injuriis & læsionibus quibuscunque defendant.

13. Huc pertinent medicamentorum usus, ingruente morbo, & Chirurgorum opera, ubi opus est.

14. Item nutricum cura & lactatio vicaria, sicubi matres ipsæ minus valeant alimenta uberibus suis præbere.

15. Item aliena domus & manus usurpatio

tio, si in propria domo & propria manu enutritio expediri commode nequeat.

Secunda cura spectat educationem, quæ non minus animi, quam corporis cultura perficitur. Hinc

16. Sobolem parentes expoliant, certè ad modum sui status, conditionis, sortis, pro indole filiorum.

17. Ad decus civitatis & utilitatem generis humani forment, aut per alios formari curent filios.

18. Pietatis sensum instillent, & ad cultum Dei internum & externum instruant, etiam insitam Dei notitiam excolendo, suisque exemplis ad virtutem præeundo.

19. Si ipsi non possunt, magistris adducantur (pro rerum præsentium copia) in scholas, ut ad frugem cultumque vitæ salutarem perveniant.

20. Quid corporis ratio exigat curarum cuique status vitæ conditioque præscribere videtur.

21. Puberum & impuberum tempora internosse, facit ad distinguendum jura.

22. Pubertatis æstimatio nititur generandi & sua satis bene administrandi facultate, cujus tempus vix determinari certo potest.

23. Impuberes defectus Judicii arguit inhabilitatis ad contrahendum, & ad acquirendum; non tamen ad præstandum dolum, si intelligant.

24. Qui tribus temporibus juventutem discernunt, primam ætatem (qualis infantum) iudicio hominis imperfecto dant, inferentes inde, liberorum talium actiones omnes parentum dirigi debere consilio & disciplina, qua illorum personis æque ac bonis bene consulatur in commodum familiæ. Unde

25. Liberorum bona (quæ forte acquisiverunt) non convertant in usus suos parentes, aut prorsus sibi in proprietatem arrogent; quam vis ob impensas, atque onera alimentationis usumfructum & certam de iis dispositionem parentibus permitti æquum sit.

26. Secundam ætatem iudicio jam quasi perfecto (quod vulgo annos discretionis appellant) assignant. In qua si liberi paternis alimentis adhuc victitent, sub patria esse potest, & sub regimine parentum iudicentur. Sin minus, in domo tamen paterna adhuc dum commorantur, regimini parentum subsint, in iis duotaxat, quæ ad familiæ statum aliquid momenti habeant.

27. Tertiam ætatem, iudicii perfecti simulque propriorum larium, propriæque administrationis rerum suarum imperium omne abscindere volunt parentibus, salva tamen auctoritate paterna & consilii suppeditandi libertate.

28. Qua-

28. Quacunq;ue in ætate constituti deprehenduntur liberi, si deliquerint, in statu quidem civili, crimina capitalia luunt, magistratus jussu, Deo sic volente, non parentum, qui hic nullus; in statu vero extra civitatem, Deo ipsi filiorum delinquentium poena relinquitur.

29. Nihilominus parentibus immorigeros castigandi, modiceque coercendi, & ubi omnis spes emendationis decollat, excludendi aut abdicandi potestas minime adempta est.

30. Ultima parentum cura ad locupletandos i. e. sufficienti copia vitæ traducendæ liberos tendebat. Ut igitur felices evadant isti,

31. Parentes de horum vita commoda, tranquilla, bene fortunata circumspiciant.

32. Filio libertatem, jus civitatis, (si in civitate vivatur) jus familiæ intemeratum, servent; quoniam, quoad jura communia in ordine ad alios (non quoad jura propria & personalia) idem cum patre jus obtinet.

33. Opes ad vivendum necessariæ ut præsto sint, neque unquam desint, & præoptent, & cordi sibi esse ostendant, & pro facultate curent.

34. Matrimoniis liberorum præsto sint consilio, opera, opibus.

35. Iisdem post mortem oculos non inanes ac vacuos relinquunt. Unde

36. Exheredare absque gravi causa libe-

ros nefas, his, præsertim per imbecillitatem ætatis, indigentibus rerum necessariorum copia. Quæ asperitas parentum primæ & secundæ ætati suorum peracerba esset futura.

37. Ex concubinis etiam suscepti succedant in capita.

38. Merita tamen liberorum spesque non temere de horum virtute concepta, & delicata quædam amoris inclinatio tantum habet virium, ut jure major portio hæreditatis eos maneat, quam reliquos, quibus illæ causæ non subvenire videntur.

39. Magis faveatur legitimæ soboli quam naturali.

40. Liberimorganatici, ex pacto parentum, ultra portionem assignatam ex hæreditate paterna nihil sortiuntur. Nisi quod ex iis, in quibus testandi facultatem habet, pater aliquid amplius testato possit concedere.

41. Quanquam amor parentum diu notuque pro re liberorum suorum augenda vigilare debet; pater tamen necessitatis telo urgente, pressus inopia oppignorare potest filium, ne fame pereat, ea tamen lege, ut simul ac fortuna patris se melius dederit, jure retractus nitatur, filiumque in priorem sortem revocaret atque restituat.

42. Et quoniam vitæ conservatio, institutio & rerum necessariorum apparatus magna profecto bona existimantur; Et hæc cum a parentibus (pro modulo humano) accepta ferant liberi, merito illis largitoribus debentur.

43. Ob-

43. Obsequium, quo ad voluntatem parentum liberi suas actiones componant, in iis, quæ divinæ voluntati & honestati non repugnant.

44. Reverentia, etiam cum domo patria sint egressi, ut honorem consuetis signis ostendant parentibus.

45. Amor, instinctui naturali ac pietati respondens.

46. Gratitude, ut beneficiorum perceptorum magnitudinem agnoscant celebrentque, seque eadem nunquam satis exæquare posse profiteantur.

47. Beneficentia, senium atque egestatem parentum solata.

48. Mores adoptivorum cum filiorum genuinorum moribus conspirent, & officia utrinque ex eadem causa resultantia sint paria. Quod nisi hæc officia parentibus exhibeantur, nihil turpius ingrato filio alit tellus.

49. Idem genus officii, & eadem ejusdem officii obligatio nepotes ligat & neptes, ex reciproco statu avorum aviarumque, qui nepotes ut liberos fovent, & vicissim nepotes honorent avos.

## CAPUT X.

DE

## SOCIETATE HERILI.

§. I.

**S**ocietas herilis est status inter herum & servum, ex contractu ortus, illum im.

imperio herili instruens, hunc ad servitium obligans.

1. Est status inter herum & servum.  
E.

1. Homo agit cum homine, homo imperat privatim homini, homo privatim paret homini. Unde

2. In statu naturali per societatem herilem hominum æqualitas certo modo tollitur.

3. In statu civili sæpe etiam magnis oneribus servi premuntur, duris conditionibus ex jure gentium secundo servorum conditionem exasperantibus.

4. Necessitas invenit servitutem, cum videlicet domini absque aliena opera satis commode vivere non possent, asciverunt sibi in domos suas homines alienos, quorum opera in re familiari administranda uterentur. Eoque

5. Servitus talis ab initio sine dubio mitis extitit & clemens.

6. Etiam indigentia induxit inter homines servitutem, quibusdam inopia pressis, & quoniam ipsi aliis servire, quam sibi vivere, & alieno sumtu suam vitam sustentare mallent (quod primævo in statu jam accidisse videtur.)

7. Servitutem in bellis captorum posteriora tempora invexerunt. Itaque

8. Servitus devictorum ab hoste, rigorem

rem etiam nimium inducere coepit, partim ex insolentia victoriæ, partim ex conservatione vitæ, quæ victis sæpe indulgebatur. Sic igitur

9. Servi aut sua sponte, cum parere volunt vitæ sustentandæ causa, in servitutem transeunt; aut coacti jure victoriæ in eandem conjiciuntur. Quare

10. Non dantur natura servi.

11. Nec stupiditas aut tarditas ingenii causa existit servitutis.

12. Ut cæteri homines, ita servi a natura sunt liberi, & cæteris omnino æquales, quod ad dignationem humanam in statu nat. attinet.

13. In servitutem traductus nihil deperdit de dignitate naturali, nisi quod in bello captus facultatem disponendi, & quædam alia ex rigore victoris possit amittere; quod an semper fiat jure, merito quis dubitet, præsertim cum miles abjectis armis victori herbam porrigat, & clementis utique victoris fuisset, taliter se dedentem tractare, non ut feram bestiam, sed ut æque hominem.

14. Servus digne acceptus & habitus fruitur omni juris humani beneficio; aut captivus & subjectus hero, si non ubique isto fruitur, frui certe debebat. Unde

15. Et ipse suis impensis injurias sibi illatas defendat, non propter dominum, aut propter res domini, sed propter se & res suas.

16. Ju:



16. Jure tamen belli ob vitam sibi reli-  
ctam, membrorumque integritatem serva-  
tam, vendi in servitutem tolerabilem, &  
emi potest.

17. Eaque venditio ab hero quidem potest  
fieri, hoc tamen cum moderamine, ne domi-  
no servo addicatur.

18. Excedunt domini, qui servis duriora  
injungere parvi æstimant.

19. Ob immanitatem herorum asperam-  
que alimentorum denegationem servo licet  
aufugere.

II. Ex contractu oritur status societatis  
herilis. Unde

1. Pactum sive tacitum, sive expressum,  
cum servo contractum servare oportet.

2. Etiam in bello captorum conditio pa-  
ctis nititur, siquidem victor capto indulgit  
vitam libertatemque corporalem, ut servi-  
tute suscepta, hic vitam suam redimeret.  
Unde

3. Perit hostilitas prior.

4. In vinculis adhuc detenti captivi in  
bello nullam talem libertatem nacti sunt,  
sed ab arbitrio victoris eorum pendet sup-  
plicium. Adeoque

5. Inter tales adhuc durat status belli.

6. Et captivus tali statu potest aufuge-  
re.

7. Dominumque violenter impetere.

8. Servitus etiam spontanea cum perpe-  
tua.

sua esse debeat, vigore pacti non desinit, nisi per mortem servi.

9. At temporariæ servitutis terminus a statuto tempore suspenditur, quo veniente, expirat obligatio serviendi.

10. Huc pertinet manumissio, quæ est modus deponendæ servitutis, ejusque res in statu naturali quoque obtinere potest, ejus vero solemnia, aut minus solemnia ab instituto gentis cujusque proficiscuntur, ut manumissiones Romanæ id testantur.

11. Servitus non habeatur in loco miseræ summæ.

III. Societas herilis herum instruit imperio herili. Ergo

1. Caute discernatur imperium Politicum ab ejusmodi imperio, ut sic dicam, domestico.

2. Imperium herile non solum ex dignitate hominis, sed & statu familiæ temperari debet. Unde

3. Domini est, Servo operas atque labores imponere.

4. Ea servo mandare, sine quibus domestica res administrari non potest.

5. Curam sui a servo exigere.

6. Alimenta & porrigere necessaria, & sufficientia.

7. Mercedem fidei servi opere respondentem pacisci, pactamque solvere.

8. Servum injuriis impetitur defendere.

9. Ægrotantem sustentare liberaliter, & cle-

clementer, & quamvis inter labores domini non præcise succumbat, sed ob causas alias, tamen æquitas alimoniam subministrandam jubet.

10. Noxio servo, non destinata malitia, sed quadam negligentia, mercedem semel conventam non subtrahere aut differre.

11. Male sibi, ob mentis stuporem consententem regere & instruere.

12. Ultra vires ejus nihil imponere laboris.

13. Præter operas perpetuas non facile aliquid injungere servo, quod rigorem nimium præ se ferat.

14. Delinquentem moderate verberibus castigare, si verbis minus proficitur.

15. Servo in usus proprios aliquid libertatis aliquando indulgere.

16. Paucis: Prudenter sua potestate in servum uti, ut in hujus animo, quasi radicitus infixæ, mixtura timoris amorisque resideat.

17. Idem dominus aufugientem a se servum, jamque ab alio receptum Domino recte sibi vindicat.

18. Cæterum Dominus servum, cum in alios deliquit, extra familiam suam severitati magistratus permittat, in statu civili.

19. In statu vero naturali servum mala inferentem in familiam, severe domo excludat, ita quidem, ut etiam pro re, eum hostem habeat, tractetque ut hostem.

20. Quo

20. Quo nomine ipsum vel ultimo supplicio afficere potest, non virtute imperii herilis, quod talia non permittit, sed jure belli, si ille quidem graviter deliquerit, vel in dominum vel in familiam.

21. Domino non competit in servum jus vitæ & necis.

22. Non leviter delinquunt gentes, privatis dominis jus concedentes vitæ ac necis in servos.

IV. Societas herilis servum ad servitium hero præstandum obligat. Igitur

1. Non potest servus ab hero alii in servitutem vendi, quia in hunc, non vero in alium consensit dominum.

2. Jussa Domini, juri nat. non adversantia promte & alacriter audiat, eisque obediat.

3. Contraria si mandentur, servus jure domino non obtemperat. Seneca.

Non in omnia servi parere coguntur.

Contra rem publicam imperata non faciunt: nulli sceleri manus accommodabunt.

4. Quicquid servus acquirit, ut servus sui Domini h. e. operas faciens sibi demandatas, id non sibi acquirit, sed domino.

5. At quod aliunde acquirit, neque ut servus sui domini, illud non domino acquirit, sed sibi.

6. Quanquam dominus ultra æquitatem & operas suas gravare servum non potest: Servus tamen etiam extra familiam jussus

Q

ter-

tertio facere officia non renuat, aut renitatur.

7. Si tamen pactus fuerit cum heri etiam in extraneas operas a se efficiendas rejicere omnino non potest, ad quod pacto expresso se obstrinxerat.

8. Servus etiam nomen heri ad judicem deferre poterit, urgente necessitate.

9. Cæterum ordinaria sacrorum officia his capitibus constabunt, ut probet ubique & semper fidem & integritatem,

10. Industriamque & vigilantiam in rebus domini.

11. Æquum animum in perferenda servitutis molestia.

12. Diligentiam in expediendo officio suo, vel ad metam jubentis heri attemperatam.

13. Curam in avertendis malis ab heri parietibus, contraque in promovendis bonis assiduitatem.

14. Justitiam in servitiis exequendis seu in diem factus sit servus, seu cum conditione seu ad res certas ( quæ alias imperfecta dicitur servitus ) seu in perpetuum servilibus adstrictus sit oneribus ( servitute perfecta. )

15. Patientiam submissam in sustinenda servitute rigida, quæ in bona & corpora servorum extenditur.

CA.

CAPUT XI.

DE

FAMILIA.

§. I.

**Q**uanquam bruta quædam gregatim (unde gregalia dicta, a solitariisque distincta) coire inter se solent; isto tamen instinctus particularis minime componi debet cum eo, qui in homine existit appetitu societatis pro ratione atque prudentia humana ordinato. Eumque merito inter argumenta retulimus dignationis humanæ. Et quidem amor hic societatis jam in simplicioribus radians societatibus, in compositis deinde multo fit luculentior, ut vel ex familia apparet, quæ est societas composita, ad privatam publicamque utilitatem hominum instituta.

I. Familia est societas composita. Unde

1. Ex simplicibus constat, iisque aut duabus conjugali & paterna, aut conjugali & herili, aut ex tribus, nempe conjugali, paterna & herili, quæ compositio ultimam ampliorem, & splendidioram reddit familiam.

2. Jura familiæ colligere licet ex officiis personarum, quæ eam constituunt.

Nisi quod compositi hic habenda ratio sit.

Q 2

3. Ni.

3. Nimirum humanitatis consideratio in familia conjunctim spectatur, & cum respectu singularum personarum illis viventium.

4. Et quemadmodum familiae perfectio maritum & uxorem, & prolem inde progenitam & servorum famulitium flagitat: Sic coram illis munia ejus quasi partitim dispensavit natura, patri familias potestatem directricem, matri familias adjutricem, liberis obsequii gloriam, servis denique laborum servilium patientiam distribuens, pro bono familiae.

5. Plurium familiarum consociationes umbram repraesentant rerum publicarum, sed sine imperio civili, videlicet quod attinet ad numerum sociorum externamque consociationis speciem, siquidem ne democratica quidem forma rei publicae in iis reperitur.

II. Familia instituitur propter utilitatem privatam. Hinc

1. Sine quibus familia & privata ipsius utilitas servari nequit, jure nat. praecipua videntur. Et sic

2. Opus est, ut in corpore regendo, directione.

3. Directio postulat jus & imperium in uxorem, liberos, servos, in domo eadem habitantes.

4. Director hic dicitur pater familias, novum in hac societate sortitus nomen, in simplici nunc maritus, nunc pater, nunc dominus nuncupatus.

5. Et

5. Et in statu naturali iste quidem sol & Rex domesticus videatur domui suæ.

6. Proximam potestatem, & absente vel defuncto marito, ferme eandem, certe vicariam tribuimus maritæ, matri, heræ, ( si fortuna ita tulerit, ut liberos & servos ancillasve gubernandas sub se habeat. )

7. Sine pace nulla domus stat diu. **Quamobrem**

8. Pater familias motas domesticorum controversias aliasve tumultus ac dissidia in statu nat. compeſcat, sopiat, aut qualitercunque componat.

9. Eoque nomine dissidentes aut concertantes iudicio patrisfamilias acquiescant.

10. Nolentibus acquiescere solæ vires corporum atque arma supersunt, ad lites decidendas.

11. Res familiaris victu necessario indiget. **Hinc**

12. Patris & matris familiæ rationes omnes eo dirigantur, ne quid rerum necessariorum in domo desit.

13. Imo abundantia domestica non quidem a jure, sed certe tamen a prudentia exigitur, præsertim casibus emergentibus cum necessitati etiam superfusis opibus succurrendum.

14. Comparanda igitur suppellex & res ad vitam necessariæ.

15. Curentur agri, pecudes, pecuniæ.

Q3

16. Ta.



16. Tabulæ acceptorum & expensorum sedulo colligantur, inspiciantur & ne plus expensorum, quam reddituum inveniatur in illis, allaborandum.

17. Emere quod necesse, non quod opus est, nihilque minus, quam emacem esse velle, magnum habeatur in privatis rebus vectigal.

18. Sicut & illud cum parvo emitur, quod magno deinceps venditur.

19. Magni æstimetur agellus, qui nostros patres aluit, & ad aliquam existimationem perduxit, siue fructibus naturalibus nos beatos reddiderit, siue industria quæsitis.

20. Sæpe venatione, piscatione, aucupio, in libertate status naturalis, focum luculentum licet facere, aut crumenam implere.

20. Lucrari sine alterius detrimento, dulce lucrum.

22. Non tutum domicilium, infelix domicilium. Quocirca

23. Paterfamilias præsidia circumponat, & optata delibatus requie tempestatem metuat.

24. Arma reposita in promptu sint ad suam suorumque defensionem.

25. Optime res privata geritur in statu nat. si patremfamilias, tanquam caput societatis domesticæ, sua virtus, & fortitudinis admiratio in altiorem auctoritatis gradum collocavit.

III. Fa.

III. Familia etiam ad publicam utilitatem instituitur. Inde

1. Si privatim bene vivitur, etiam publice & coram aliis extra domum nostram non malevivetur felicitasque privata fundamentum est publicæ & illa hujus instrumentum recte existimatur.

2. Familiæ familiis in statu nat. quoties necessitas ingruit, opem ferre ac tueri earum res ac statum possunt.

3. Conjunctiones familiarum aliquando justæ civitatis compagem præbuere.

4. In statu civili patrifamilias nihil ex naturali libertate potestatis relinquitur, præter illud, quod a civili potestate non est ademptum, vel restrictum.

Itaque

5. In omnibus ille sese legibus civilibus attemperet, quibus silentibus, sua libertate, quam jus naturæ concedit, gaudeat.

6. Cum de bonis hæreditariis est disponendum, ratio familiæ habeatur in eo, ut ne massa hæreditaria semper æqualiter dividatur, idque ad splendorem firmitatemque majorem familiæ.

SECTIO IV.

DE

OFFICIIS HYPOTHETICIS  
IN CIVITATE.

CAPUT I.

DE

ORIGINE ET ACQUISITIONE  
IMPERII.

§. I.

**D**EUS, pro absoluto suo in homines imperio atque arbitrio, eam potestatem in terris non exercet, quam societati humanæ delegavit, ut jura tuerentur ea, quæ necessaria duxerit ad conservandas hominum societates. (in quo dignitas hominum insigniter splendet. & quam maxime.)

Unde

1. Cum homo per naturam non possit occidere hominem, ob divinum interdictum, jam divino nutu, summa in his terris potestas homines potest occidere, & ex officio sibi divinitus injuncto, ob justam causam debet occidere, ut vulnus immedicabile in cæterorum securitatem, ense recidatur, ne sincera pars eodem contagio trahatur, aut alieno maleficio vexetur, Ideoque

2. Prin-

2. Principes vicariam quandam potestatem DEI in terris gerentes, omnes supereminet.

3. Et jus habent, etiam capitalium poenarum infligendarum, ut Dei ministri.

4. Eandem facultatem nec alii homines singuli, nec omnes per se possident, & propterea in alium nequeunt transferre eam, qua ipsi destituuntur.

5. Ex quibus id denique efficitur, omnem magistratum in se consideratum esse a Deo. Itaque

6. Principes summi non habent, quod de sua sorte metuant, nimirum suprema potestate suffulti, nec quod suam sortem, singulorum civium dignitates a natura tributas, moderante Deo, complexum, deprimant.

7. Nec a civium potestate dependet.

Unde

8. Ab hominibus electi, non vi electionis humanæ, sed delegationis divinæ exercent magistratus potestatem.

9. Ex quo illa formula: Nos Dei gratia. Hac innuunt, sese imperium, tanquam Dei munere atque loco, promulgare ad cives suos.

10. Nec ad magistratus sed ad homines tantum dictum est, illud postdiluvianum: Qui sanguinem humanum effundit, ejus sanguis vicissim effundetur. Quare

11. Immutata fiat veritas, videlicet Majestas

Qs

regia,

regia, in hisceterrarum sedibus conspicua, non aliam novit originem, quam quod Imperantes vicariam Dei personam referunt, qui tanquam causa prima & remota, populorum salutem hac eadem Majestate oblesit, civium autem eligentium voluntates in eam rem constituendam sapienter dirigit. Hinc

12. Concurfus populi eligentis non negatur, sed potius, ut causa proxima & immediata, asseritur & stabilitur. Hinc

13. Cum homines antea pro lubitu egerint in statu naturali: possunt jam deinde ex ista libertate statuque egredi, seque ad civilem convertere.

14. Quo ipso naturalis libertatis, vel omnimodæ, vel aliqualis jacturam facere necesse est.

15. Cumque singuli civitatem meditantur, consensumque mutuum, inter sese de insti-  
 enda civitate declaraverunt. ( siquidem populi voluntas hanc vim naturaliter obtinet )  
 deinceps imperio civili erigendo consultatio de forma regiminis introducenda præeat, an videlicet ab uno ( in Monarchia ) idque vel absolute vel limitate, an ab optimatibus ( in Aristocratia ) an ab universo populo ( in Democratia, ) an forma mixta, an per modum systematis civilis ( in quo plurium civitatum quæque sibi rationes separatas quidem habet, & jura Majestatis, sed ut tamen defensio singularum & omnium. si tempus ita ferat,   
 omni

omnibus sit communis & in quibus præterea communi vinculo inter se contineantur) quæ indoles systematica cum unione imperiorum non confundi debet, item num per successionem continuam unius familiæ, an per electionem, sede imperii vacante, an per successionem & electionem mixtam ( cum obtinet successio, sed semper antecedente electione ) an forma imperii irregularis, an despotica ( populo se Regi in servitutem demente ) an regno patrimoniali ( de quo libera disponendi facultas Regi permittitur ) an non patrimoniali ( in quo talis libertas Regi est abscissa ) rem publicam gubernandam existiment.

16. Per pactum deinde suam voluntatem atque vires in unum hominem vel coetum dicta ratione transferunt, subsequente aliquando jure jurando, ne semel in mutuum auxilium conspirare ingressi, animum possint mutare, & ut forma imperii a conventionem populi exorta, suis radicibus tanquam hæreat.

17. Quo factò aliud pactum res postulare videtur, quo imperanti quidem salus rei publicæ, civibus vero obsequii civilis vinculum injungitur, indeque imperium summum in cives suæ rei publicæ, & civilis subjectio, imperio illi summo debita, salvo tamen vinculo conscientia, enascitur.

Unde

18. Im-

18. Imperantes videant, ne quid Res publica detrimenti capiat, contraque ut salus & incolumitas imperii stabiliatur, crescat, au-geatur.

19. Cives pro sua republica, tanquam pro aris & focis, certare semper parati sint, quod ut regnantibus gloriosum est, homines dignatione naturæ notabiles regere; ita regnatibus honorificam ac salubre, sese homines nosse & superioribus subiectos, ut obediendo societatis & dignitatis humanæ fructus percipiant, eo lætiores quo liberius se submiserint.

20. Evenit tamen, homines nullo suo consensu libero, sed aliena vi compulsos inire civilem societatem, ab hoste victore impostam, minus malum, libertatis scilicet amissionem, & civilem subiectionem onerumque civilium tolerantiam, dum elegerunt præ majori malo. Unde

21. Si homines invasionis vim admittant, nec resistant, & per subsecutum consensum pactumque ei se subiciant: tunc legitimus invasor obtinet imperium, non ex injusta sua invasione, sed ex volente post invasionem ipso populo & consensu insecuto.

22. Populo igitur non consentiente, invasor nullum acquirit imperium legitimum, cum Democratiam vertit in Monarchiam, aut cum ejectis Proceribus, in eorum locum sese intrudit, ante imperantes priores extinctos.

23. Si

23. Si victor cives sub suam redigat potestatem, modo ex causa justa vis sit intentata rursusque consensus, etiam sæpe juratus civium intervenerit, legitimam iterum victor potestatem imperandi acquisivit sibi.

24. Quod imperium absque occupatione violenta comparatur, puta cum populus aliquis imperante forte destitutus, alium se offerentem ultro recipit, aut cum populus in coloniam abiens, in loca venerit non omnino vacua, rursusque incolis habitata, id legitimum esse ex dictis, ob interpositam conventionem & consensum, ultro patet.

25. Ex dictis dispalescit, nisi fallor, si concursum humanum ad magistratus constitutionem spectemus, res publicas ortas esse non præcise

A natura hominis, quasi homo necessario vivere debeat in civitate.

Et enim non omnes inclinant ad civilem societatem.

Ab indigentia; cum etiam extra rem publicam indigentia succuratur, contra ea in republica non omnibus utique neque semper de sufficienti vel abundanti copia cautum sit.

A mutuo hominum metu, qui status naturæ foret belluinus, imo deterior belluino, & idcirco probos saltem opportuisset civitatem intrasse, segregatis improbis; id quod sane nullibi accidisse constat.

A



A pacis custodia, quæ servari potuit, vel sine civitatis vinculo.

Ab amore socialitatis; Quippe homo etiam ut socius cum aliis potest vivere, ut extra imperium civile vivat.

A perfectione vel præstantia rei publicæ, cum dentur tales non adeo præstantes, & primis temporibus solitariæ familiæ satis sibi belle beateque vixerint.

Ab utilitate singulorum, quippe quæ etiam in statu naturæ & aliquando majori modo, quam in civili interdum obtingit, impetrari, potuit.

A dictamine rationis, quod libertatem nat. non certe postponit subjectioni civium.

A libidine ambitiosa dominantium, cujus specimina Cainus, interempto fratre, Gigantes in tanta malorum ante diluivium coluvie. Nimrodus, aucto genere humano.

Esauus sua improbitate incitatus ad dominandum, videntur edidisse. Quam licentiam tamen de singulis rebus publicis certe nemo probaverit.

Occasione atrociorum regnandi januarum patefacientium.

Sed a diversis causis, in imperiis diversis, ita quidem, ut quidam coetus in civitatem convenerint, majoris securitatis causa, quando ipsi, ut homines, rationem sui cautiorem habentes, insidiis vel insultibus hostilibus sepimentum circumposuerant; Quidam ob

mg-

majo rem, quam sibi conceperint, commodi-  
tatem vitæ; Quidam violentia externa com-  
pulsī; Quidam forte fortuna, quasique aliud  
agentes, imperium civile non tam appetive-  
runt, quam detrectare noluerunt aut non  
potuerunt. Adeo nunc consensus expres-  
sus, nunc tacitus, nunc extortus, & tumul-  
tuarius potuit intervenire.

26. In regnis quidem electivis, defuncto  
priore, novum caput imperio legendi pote-  
stas datur.

27. At in regnis successivis, extincta re-  
gnante hætenus familia, res publica in inter-  
regnum recidit. Et propterea

28. Tunc in populi situm est arbitrio, vel  
novum caput imperio legere, vel sibi retine-  
re imperandi potestatem, & e. g. ex Monar-  
chia Democratiam vel Aristocratiam facere.

29. Ubi per se intelligitur, interregni spa-  
tium prudenter coarctari, coarctari etiam  
omni studio debere, ne cives in licentiam dis-  
solutam procacemque libertatem degene-  
rent, aut penitus in Anarchiam prolabantur.

30. Interea dum novus creatur imperii  
gubernator ii, quibus clavus datus est ad cer-  
tum tempus, provideant, ne ordo rerum ci-  
viumque concordia turbetur, neve aliquod  
malum inferatur patriæ.

31. Nec vicariis istis proprie dicta compe-  
tit Majestas, sed vicaria duntaxat, & ad cer-  
tum temporis tractum, pusillum etiam, inter-  
posita.

32. In

32. In regno successivo patrimoniali ex voluntate expressa defuncti succeditur, vel ubi nulla expressa, præsto est dispositio, etiam ex præsumta, quæ pertinet eo, ut regnum præfenti statu atque forma accipiatur a filio nato maximo; & filiis deficientibus masculis, a filia nato maxima, & sic deinceps, exclusis naturalibus & adoptivis.

33. Eadem præsumptio pro successione quoque militat, quam populus simpliciter hereditariam esse voluit.

34. Et ne gradus proprietatis in numerando difficultatem obiiciant: a plerisque gentibus salubriter inventa est successio linealis, ea lege atque cautela, ut alicubi foeminae omnino ab hoc fastigio dignitatis eminentissime inter homines excludantur. Quod ubi fit, vocatur hodie successio agnatica, seu Francica; e contrario alicubi eæ ad idem fastigium admittantur, maribus defectis, & hæc successio nostro ævo cognatica seu Hispanica appellatur.

35. Nec tempus nativitatis, quo natus Rex fuerat, aut nondum fuerat ordinem successions mutat, quoniam natura prior, etiam si in regia fortuna patris natus haud fuisset, sed ante eam, jure potior habetur merito, sive voluntatem patris in regno patrimoniali, sive populi, in deferendo familiae regnatici imperio, respiciamus.

35. Si qua in gente linealis successio invaluit, in ea quam diu aliquis ex nepotibus, & inde

inde genitis primi filii superest, secundo geniti filius ejus que posterius in succedendo non attenduntur. Idem de reliquis generationis ordinibus esto judicium.

36. Ubi vero linealis successio non est recepta, neque regnum est dividuum ( nam in regno dividuo, extra controversiam, & primum nati, & postmodum secundo loco nati, jure æquali succedunt ) neque jus repræsentationis rejicitur. Ita natus majori cedit natus minor, & e. g. nepos avi primogeniti filio secundo geniti primum locum in succedendo relinquit.

37. Tutoribus regni jure proprio potestas summa imperii tribui nequit; effectus vero imperii, quantum ad imperii administrationem, ei non tribui non debet.

38. Qui Democraticum erigunt statum in regimine, illi in pluralitatem votorum, in frequentiam committorum, ob necessarias publicorum negotiorum deliberationes, in suffragantium juris æqualitatem, eorumque justum ordinem consentiant necesse est.

39. Cum populus aut optimates concurrunt cum Rege in juribus Majestatis exercendis, mixtum emergit imperium, & quælibet pars ex pactis conventis, quid sibi juris relictum vel non, expendens, pro mensura suæ potestatis potest agere.

40. Systematico nexi vinculo eodem funda-  
R
da.

damento conventionis publicæ nixi, recte agunt omnia, sine latum quidem unguem, a sacratissimis legibus fide publica pactis recedunt.

41. Quilibet Princeps acquisitum territorium jure tuetur, eoque cum civibus suis uti frui potest, prout in regno non patrimoniali conventum statutumque est.

42. Quique accipit territorium, etiam thesauros ejus acquirit.

43. Vique juris territorii & ob onus defensionis transeuntibus personis & mercibus recte aliquid tributi imponitur.

44. Idem fons est juris angariarum.

45. Fluvii cursus mutatus in finibus duorum regnorum, non mutat Domino territorii jus quæsitum jure naturali.

46. Occupata terra mari contigua, non & mare adjacens occupatum videtur, nisi mare cingat terram occupatam.

47. In occupatione publica, h. e. ea, quæ fit per universitatem, ad singulos nihil redit, nisi quod inter eos distribuitur.

48. Quæcunque vero constituta in regno forma regnandi fuerit: certum tamen immotumque, Majestatem ubique esse unam, a Deo hominibus præ brutis eminentibus concessam. Unde

49. Imperio in Principem translato, nihil imperii residet penes populum, & male majestas dividitur in realem, quæ toti civitati sit

ro-

reservata, & in personalem, quæ in unum aut plures una imperantes translata judicetur.

§ 0. Et quamvis pacta certa electioni adiiciantur, quibus forma regiminis sæpe, aut modus certe restringatur: hæc tamen Majestatis collatio non cumulative, sed privative facta intelligitur, sicut populus sibi de imperandi potestate nihil reservaverit, sed pariter omnes, subjectione pari, subjaceant imperio.

§ 1. Hic monarchomachi, cum gentium pernicie, civitatum labefactant, imo dissolvunt compages, id agentes unice ut populis persvadeant, abusus summorum Potestatum, poenis gravissimis, quin & depositione, & occidione Imperantium puniendos esse.

§ 2. Licet autem Deus humano generi concesserit imperium, non tamen uni populo, aut uni personæ, repleto orbe terrarum, concessum intelligitur: Siquidem imperia neque communi hominum consensu decerni, neque ad omnes terrarum partes deferri, multo minus in executionem deduci potuere.

§ 3. Quæ causa est, cur ingens hominum societas in partes minores, seu imperia summa abierint, & distinctis circumscripta fuerint regionibus. Et hæc est origo Imperiorum, & rerum publicarum.

§ 4. Summa dissertationis hujus eo redit denique, Imperium humanum in hisce terris,

R 2

esse

esse a Deo, ut causam primam, qui constituit hanc potestatem, voluitque inter homines quosdam vices suas quasdam gerere, quam pro sua Sapientia producat atque conservet.

55. Cum autem homines pacisci, antequam in societatem civilem coeant, & de magistratu summo eligendo & deliberare & consentire oporteat; populos imperium ut qualitatem moralem, tanquam causam proximam & secundam producere.

56. His positis limitibus, Deo moderatori rerum summo principatus, populo concursus subordinatus recte &, ut confido, accurate attribuitur. Et ut luculentius rem expediam: Sicuti matrimonii constitutio pendet a Deo sic ordinante; matrimonii electio ab homine ipso, non tamen excluso divino concursu, moderamine, providentia: ita Imperium dicimus a Deo, si spectemus constitutionem eorum, simulque ab hominibus, si respiciamus constitutionis hujus executionem, & electionem, in qua tamen cave Deum excludas, qui ad Principum electiones semper concurrit providentia in administrando imperio hominum, re profecto sanctissima, & quidem pro diversis studiis hominum & statu diverso, nunc dirigendo, nunc permittendo.

57. Et hoc ipsum duo Apostoli Paulus & Petrus confirmare videntur: ille, quando magistratum a Deo esse notanter & cum pondere verborum contendit, & ordinationem divi-

divinam vocat magistratum; hic, cum eandem vocat ordinationem, quoniam multa ab arbitrio populi eligentis & Majestatem in imperantes conferentis pendere manifestum est, Hinc

58. Dissentimus ab iis, qui Majestatem immediate a Deo conferri, populum autem nil agere hic asserunt, nisi designare personam. Quæ sententia parum sine dubio humanæ facultati tribuit, & hominum electioni derogat,

59. Nec facimus cum iis, qui Majestatem a populo produci volunt, quando is suo consensu transferat imperium, Deum vero hanc collationem imperii postea approbare. In quo populo nimium, Deo parum extra controversiam assignatur.

## CAPUT II.

DE

# POTESTATE IMPERII.

### §. I.

**P**otestas imperii est facultas regendi cives ob salutem publicam.

I. Est facultas regendi cives. Ergo

1. Sine qua facultate cives regi non possunt, ea pertinet ad potestatem imperii, & concessa potestate atque imperio, simul concessa intelligitur regendi facultas.

R 3

I. Uti



2. Uti civitas est hominum coetus sub uno imperio degentium ob salutem publicam, vitæque tranquillitatem : Sic quiquid isto coetu, tanquam imperii corpore, continetur, imperio obnoxium est.

3. Bona civium subjacent moderamini publico, & necessitati utilitatique publicæ quoque inserviunt.

4. Nemoque civium exemptus est a potestate Imperantis, nisi justam exemptionis causam possit allegare.

5. Facultas regnandi non potest concipi absque Majestate, h.e. absque summa in personas & res civitatis potestate atque auctoritate. Itaque Majestati hoc proprium inest, ut sit

6. Summa, qua nihil superius, & quæ cæteris sub se comprehensis sit superior, adeoque

7. Nemini obstricta ad rationes actionum suarum reddendas, ac proinde

8. Nemini subjaceat.

9. Nec ab ullo in juris exercitiis impediri possit, etiamsi libertatem civium constringat, & jura sua eo pacto auctum eat.

10. Ejusque actus alterius voluntate irriti reddi nequeant.

11. Leges humanæ & civiles a Majestate dependentes, judicio Majestatis subsunt.

12. At leges divinæ & naturales Majestatem obligant, quibus violatis etsi non hominibus, tamen Deo, Principes rationem reddant.

13. Lau-

13. Laudandus tamen Princeps, si etiam leges a se latas observare velit & observet.

14. Summa Majestas est una, alias non esset summa, quia duæ summæ potestates separatae in unam rem publicam simul haud quadrant, nec per naturam simul consistunt,

15. Una Majestas est etiam indivisa cum unum in plura dividi nesciat. Hinc &

16. In Aristocratia & Democratia in plures Majestates, ut sic dicam, non dividitur, sed in una persona morali manet.

17. Sit Majestas, ob munus tam arduum, quod tuetur, sancta & inviolabilis. Unde

18. In eam insurgere repugnat naturæ subjectionis, & eidem aliquid detrahere audere, crimen læsæ Majestatis haberetur,

19. Eadem veneratio a civibus alius quoque regni debetur Principi, ut non modo Principi, sua subjectio, sed & extero humanitas probetur,

Quare

20. Ne Majestas in dubio sit, plurimum refert.

21. Et si quis nomine Regis vel externo splendore Regis in imperio gaudeat, id non statim infert ejus Majestatem Regiam.

22. Contra ea si cui Regis nomen desit, non ideo Regiæ res, seu Majestas deerit.

23. Promissa Regis data populo, etiam circa rationem imperii, Majestatem haud tollunt.

R 4

24. Plu-

24. Pluribus pariter imperantibus, Majestas nihilo secius divisa non est.

25. Uni capiti duo aut plures populi subesse possunt, quorum quisque per se coetum constituunt perfectum; sed singuli Majestatem non retinent, persistente domo regnante. Hac vero exspirante, ad populum redit Majestas.

26. In systemate civitatum, unaquæque civitas majestatem suam retinet.

27. Rege male imperante, populus imperium non accipit, quia semel potestatem suam transtulit in Principem.

28. Tempore limitata majestas, majestas vera existit. Nam intra illud statutum tempus omnem suam vim exerere & exercere valet.

29. Imperantium curatores ipsi non tenent majestatem, sed ejus nomine, qui eam possidet, eam tantum administrant.

30. Si Princeps quid promissit, vel circa facultatem ipsam imperii, haud tamen per istius modi promissa imperium summum desinit quia hoc non fit ex vi potestatis superioris, sed ex Principis permissione. Quocirca quicquid contra datam fidem fuerit factum, sive promissio in exercitium actus cedat, sive in ipsam facultatem, ipso jure injustum, vel omnino nullum esse existimatu.

31. Clausula hæc: Regno cedat Rex, si fidem fefellerit, minuit imperii habendi modum

dum ob conditionem adjectam, summum imperium non minuit.

32. Fœderatus inæqualiter summum habet imperium, nisi sanctio fœderis summi imperii diminutionem contineat.

33. Si vero fœdus sit ictum ad summi imperii imminutionem, ita, ut e. g. ab altero ad alterum provocare liceat, tunc summum imperium adimitur.

34. Quo nomine sibi etiam atque etiam caveant, qui fœdus sint inituri, ne se tali diminutione ipsi defraudent.

35. Princeps alteri aliquid pensurus, majestatem, ea pensione non obstante, retinet. Nam ex pacto saktem vel conventionem penditur; Pensio tamen fit cum deminutione dignitatis, dum se infirmum profiteretur.

36. Vasalli illustrium feudorum possunt habere majestatem, neque obstat nexus clientelaris; Siquidem majestatem habent, jura etiam majestatis suo nomine exercent. Quippe feudorum præstatio ex placitis utrinque compositis, nexuque feudali, non ex cogente imperio est.

37. Potentia inæqualis vel autoritas, non minuit paritatem summitatis.

38. Infantes quoque majestatis capaces sunt, succedentes prioribus defuncti Regibus; licet alii tradatur administratio, dum illi ad annos maturitatis perveniant.

39. Successione, an electione transferan-

R 5

tur

tur imperia, nihil refert, quod attinet ad eorum summitatem. Nam successio est electio continuata.

40. Sive Regnum sit Democraticum, Aristocraticum, Monarchicum; sive patrimoniale (jure belli acquisitum, vel a populo, sui tuendi causa, sine conditione traditum,) sive non patrimoniale ( a populo volente traditum, cum lege fundamentalis Reges adstringente) ubique eadem stat vigetque majestas.

41. Qui plenum imperium non habet, h. e. exercitium imperii externum, ille tamen summum potest habere. Sed quatenus plenum notat ipsum imperium, hæc cui deest, is imperium summum habere non potest.

42. Si Rex acta quædam sua rata esse nolit, nisi a Senatu probentur, vel ab alio coetu, non ideo majestas dividitur, ob eamque causam talia acta ipsius Regis imperio rescindi possunt.

43. At si Princeps lectus a libero populo adstringatur, lege poenæ ad aliquid faciendum vel omittendum: tunc imperium est penes populum; titulus imperii penes Regem.

44. Populus ante majestate coruscus, simul ac se alterius submittit imperio, statim majestatis amittit insignia.

45. Hæc de majestatis casibus, ut ita dicam, ea mente adducta sunt, ut eo certius venerationem majestati debitam, ejusque sanctimoniam percipiamus, & personis applicemus.

46. Fit

46. Fit tamen aliquando violabilis, nimirum sua culpa, quando regnator omnem curam regni abiicit, externæ violentiæ non resistit, internos tumultus non compefcit, pecuniam publicam ad libidinem & luxum deperdit, salutem civium externo hosti prodit, in extremo periculo linquit rem publicam. Adde his, si quid imperatur, quod injustum, quod illicitum, tunc sane civis est, abstinere, quamdiu persuasus est, rem imperatam justitiæ adversari. Item si regnum non patrimoniale alienet, nihil censetur egisse, ob defectum facultatis alienandi. Non enim ad perdendum, sed ad servandum regnum Princeps constituitur. Nisi alienandi potestas ei peculiari concessione permiffa sit, aut nisi moribus obtineat, aut necessitas extrema talem alienationem urgeat.

47. Cæterum Imperantes jura extra limites sui regni, seu territorium suum, nisi ex concessione gentis extraneæ, exerceri non possunt. Hinc

48. Nec extranei bona intra regnantis territorium deprehensa, gaudent immunitate.

49. Ex hoc territoriali jure summa fluunt, dominium eminens, munitiones, præsidia militum, hostium advenarumque exclusiones, viarum publicarum leges, aliaque jura territorii.

II. Potestas imperii ob salutem publicam constituta est. Unde

i. Et

1. Et justitiæ causa, sine qua nulla salus populi.

2. Et ipse imperans legi naturali & sic pacto cum civibus inito adstrictus tenetur.

Nam ex illo pacto nascuntur leges regnorum fundamentales.

3. Quo etiam observantias imperii, per traditionem non interruptam ad posteros traductas referimus.

4. Ad justitiam administrandam necessaria est potestas legislativa, qua jus statuitur; & judiciaria, qua jus in civitate applicatur; nec non deliberativa, qua felicitati communi & defensionis publicæ efficaciter consulitur. Hinc emergit, ut pars Majestatis,

5. Jus legum ferendarum, cujus vigore Imperans suis civibus præscribit, quid faciendum, quid non, quid cuique suum, quid alienum censeri debeat, quid pro licito, quid pro illicito, pro honesto vel inhonesto haberi oporteat, in quantum libertas naturalis restricta, in quantum non sit restricta, quomodo quisque suorum jurium usum ad civitatis tranquillitatem debeat temperare, & jus suum ab altero queat exigere. Igitur

6. Leges condit magistratus supremus ex jure imperii, ac propterea, nisi aliter in imperio constitutum sit, populi vel Procerum consensum requirere non est obligatus.

7. Atque ad essentiam majestatis hæc legum potestas pertinet.

8. Eaque civitati actum quendam & animum dat,

9. Le-

9. Leges ipsæ honestæ sint & justæ, loco tempori, personis convenientes, necessariæ, utiles, manifestæ, & pro singulis, vel saltem majori parte civium scriptæ, denique legibus naturalibus vel conformes, vel certe non contrariæ. Unde

10. Haud vulgaris prudentia ad ferendas & abrogandas leges requiritur.

11. Etiam ferri potest lex tam rigida, ut vita prius profundenda sit, quam ab ea recedatur.

12. Hujus loci est meditatio utilissima, de receptione juris naturæ in civitate, quod actiones privatorum; quod quidam jus nat. universale privatum appellant.

13. Legislatores tamen non præcise ea, quæ sunt juris nat. sanciendo repetit, suisque civibus injungit, etiam sanctione ac lege civili, sed & quædam cujusque conscientiæ atque pudori relinquit.

14. Quæ jure nat. sunt licita, circa eadem in utramque partem legislator potest dispo-  
nere.

15. Non solum leges promulgandæ, sed & actionibus civium diligenter & accurate accommodandæ; neque solum accommodandæ, verum & providendum, ut in executionem veniant.

16. Ex hac causa legi omnium partes assignantur, jussio, qua aut præcipitur, aut interdicitur aliquid, & sanctio poenalis, qua poena statuitur in violatores. Unde

17. Principi competit jus gladii, & delictorum punitio: 18. Jus



18. Jus provocationis, quo ad tribunal Principis nostram causam devolvimus.

19. Jus aggratiandi, quo vel poenam penitus tollit Princeps, per dispensationem, vel poenam imminuit, per mitigationem.

20. Aliquando, per Principis approbationem, consuetudines vim legis sortiuntur.

21. Aliquando & leges extraneæ recipiuntur in patriam, autoritate summi Magistratus.

22. Quædam leges civiles licentiam & abusum circa res jure naturæ licitas restringunt.

23. Eædem externas, non internas civium actiones, actus voluntatis, non intellectus, futuros, non præteritos ordinariè, item jure nat. non satis determinatos dirigunt.

24. Promulgatio legum clare fiat, & verbis evidentibus.

25. Interpretatio legum authentica est penes legislatorem ipsum.

26. At doctrinalis penes Doctores, juris interpretes.

27. Vindicatio legis aut infert poenam proprie dictam, aut metum nullitatis, aut comminationem faciendæ restitutionis.

28. Si legislator lege aliquem eximit, privilegium dicitur, quod solus imperium gerens largitur. Hinc

29. Nisi ex justa & prægnanti causa, non facile dandum erit.

30. Nec admodum large concedatur, ne odium

odium aliorum & invidia excitetur, & societatis inimica æmulatio ex odio orta.

31. Fontes tam largæ & singularis indulgentiæ sunt, aut singularis gratia indulgentis, aut meritorum remuneratio, aut compensatio pretii.

32. Gratiose indulta jus revocabile annexum habent.

33. Privilegia cum onere acquisita e contrario jus tribuunt irrevocabile, quod tamen publicæ necessitatis cogente telo, revocari, sine damno quidem privilegio donati, potest.

34. Ut privilegium ipsum, ita species ejus, an reale, an personale concedatur, solus Imperans destinat.

35. Eiusdemque est, privilegia quædam ad certum tempus suspendere, quædam ad hæredes transmittere.

36. Poenarum remissio vocatur dispensatio circa delictum, de qua modo dixi, civemque non quidem ab obligatione legis, sed tamen a legis pœna liberat.

37. Cum, ut ex dictis elucet, leges a maiestate proficiantur, nemo civium per se a lege lata ejusque obligatione exemptum se esse sibi persvadeat. Ideoque &

38. Civitatem nimia legum multitudine non prægravari, neque legum inopia vacuefieri, qualisque sterilefcere, Politicorum est, providere.

39. Leges in republica non florere possunt  
abs,

absque judiciis, quæ inter leges & poenas tanquam interjacent. Itaque

40. **Judicia omni reipublicæ oppido sunt necessaria.**

41. **Per judicia naturalis libertas perit, & in stat. nat. quædam licita, in civitate habentur criminosa & exitialia.**

42. **Igitur per duella decidere controversias nefas; quanquam lex publica externam impunitatem his aliquando concedat.**

43. **Judiciis constitutis, privatæ defensiones etiam in civitate idcirco non tolluntur.**

44. **Sicubi ergo copia judicis haberi non potest, cessant judicia, & naturalis reviviscit libertas, & quilibet de jure potest sibi prospicere.**

45. **Post judiciorum constitutionem in civitate, nemo sibi per vim jus potest dicere, licet opinetur, judicem sibi denegaturum esse administrationem justitiæ.**

46. **Si justitium ab Imperante ad breve quoddam tempus indicetur, nondum libertas naturalis, revocari debet, ad se defendendum. Nec justitii ea intentio est, ut causas non ferentes moram velit rejicere.**

47. **Exercetur autem jurisdictio de subditorum negotiis a summo magistratu per modum imperii, quando causas cognoscit, sententias fert, & ut executio non omittatur providet. In quo tam interesse privatum, ut loquantur, ex vindicta privata, quam publicum ex vindicta publica, spectatur.**

48. **Cum-**

48. Cumque Princeps ipse per se privatus lites non facile omnes possit audire, neque expediat utilitati communi, aliis gravioribus existentibus negotiis; aliis commode & necessario, qui suo nomine justitiæ præsent, jusque litigantibus dicant, substituit.

49. Hoc tamen non prohibet, quo minus ipse, causas ab ordinariis judiciis avocet atque excutiat.

50. Quin collata alteri jurisdictioni, examini superioris semper subest. Indeque

51. Jus provocandi ad tribunal superioris, quoad id civibus est permissum.

52. Et nunquam non asylum pateat afflictis, nempe recursus ad Imperantem.

53. Jurisdictioni Principis non valet extra territorium ipsius.

54. Ad judicia commodius ordinanda non modo causæ, sed ut provinciæ territorii dispiciantur.

55. Princeps ad leges civiles adstrictus non est; sed interdum pro necessitate salutis publicæ jus dicere potest. Judex vero subalternus id non potest, utpote quem leges ligant.

56. Princeps præterire potest judicem ordinarium, aliique causam excutiendam mandare.

57. Justitia, veritas, personarum respectus nullus, bonum faciunt judicem. E.

58. Talibus instrumentis carens, potestate judiciaria indignus est.

§

59. Ju

59. Judicata a iudice inferiori per auctoritatem regentis auctoritate publica firman-  
& splendent.

60. Nisi iudiciorum ordo expresse deter-  
minatus sit a superiore ( cui exacte animum  
intendat iudex ) ordo naturæ valeat. Unde

61. Solennitates forenses cadunt, simpli-  
citer naturalem secutis. Quamobrem  
simpliciter

62. Citatur reus, instante actore.

63. Quo factò, ore etiam & sine Patronis,  
actòri respondeatur.

64. Porro probatio adjiciatur in causa du-  
bia, cui contradicit adversarius, h. e. advo-  
centur testes, confessio, instrumenta, iusju-  
randum, & alia.

65. Deinde reus se defendat, si possit, ad-  
versus accusatorem suum.

66. Inde a iudice, post causam examina-  
tam secundum acta & probata, feratur sen-  
tentia decisoria, ad præscriptarum legum  
normam.

67. Postremum locum tenet executio sen-  
tentia, quæ ex imperio fit.

68. Sæpe etiam in causis subito deciden-  
dis statim per mandata proceditur.

69. Subditus vero causas non potest neque  
noscere, neque dijudicare; potest tamen  
controversiis suis finiendis arbitros adjunge-  
re.

70. Jurisdictioni Principum inhæret jus  
poo-

poenarum, quæ infliguntur ut malum passionis ob delictum, sive hoc committendo, sive ommittendo perpetratur. Hinc

71. Poenas statuere in cives soli majestati competit, cui cura etiam severa populi commissa est, neque vitium punientis, sed officium spectare oportet.

72. Qui ergo majestatem non habet, ut omnes subditi, non poenas potest proprie dictas alicui infligere. Ideo

73. Doctores, præfecti morum, parentes, patresfamilix castigationes exercent, cum suos coercent, poenam proprie non exercent. Umbra enim imperii non est ipsum imperium,

74. Maritus occidens uxorem adulteram apud homines est impunis, non apud Deum, nisi non ex doloris affectu, sed malum ex dilatione poenæ consecuturum, vindicaturus, ut fures nocturnos & latrones publicos impune occidimus.

75. Et poena non potest inferri, nisi ob finem justum & utilem tum delinquenti ipsi, tum læso, tum aliis promiscue. Unde

76. Delinquenti aut vita, aut nocendi vires possunt adimi, aut ipsi alio modo discat sapere, ne imposterum nocendi animum sumat.

77. Poenæ in loco publico conspicuæ aliis terrorem faciunt, ne simili crimine poenam similem in se provocent.

78. Delinquenti omni, sive actor is sit, sive reus, debetur poena, quæ est juri naturalis, tanquam effectus moralis antegressorum delictorum; etiamsi genus poenarum jus naturæ non determinet, sed magistratui determinandum relinquat.

79. Hæc poenarum necessitas tantam obtinet vim, ut aliæ quoque civitates possint punire delicta ad societatem humanam pertinentia. Itaque

80. Delinquens in aliam Jurisdictionis terram fugiens, si recipiatur, regentes illius terræ ex receptu tenentur.

81. Sed postulatus reus aut sub præsentis jurisdictione puniatur, aut postulantibus tradatur puniendus, aut illis ad alterutrum eligendum optio permittatur.

82. Etiam jam deditus alii populo in poenam, ubi vero non receptus fuerit, a suo populo potest puniri, quia saltem in aliena ditione existens executioni impedimentum objiciebat.

83. Nocentes ad templa vel aras confugientes, tanquam ad asyla, nihil inveniunt ibi auxilii, aut securitatis, Multo igitur minus asyla scelerosos accipientia regent confugientem.

84. Delictum dediti contra jus nat. peccantes ex jure civitatis, delinquentem recipientis; at non contra jus naturæ peccantis, jure illius loci, unde profugit, puniendum erit.

85. Etiam

85. Etiam fidem suam qui pro delinquentē interposuit, adpoenam delinquentis loco obligatur certa ratione.

86. Quam in rem liberis sæpe auferuntur, quæ a voluntate rei publicæ proficiscuntur, ob parentum delicta, quæ ablatio quidem non intendit poenam, ob defectum delicti in liberis; trahit tamen secum poenæ rem, quoniam auferit, quod liberi a civitate habituri erant.

87. Sic qui fidem spondet pro altero delinquentē, licet neque mortem neque membri jacturam, nec exilium spondere pro altero possit; potest tamen rei præsentia ab ipso sistenda, & in ejus locum multa sponderi.

88. In foro tamen humano ( non divino ) a poena immunes sunt actiones internæ, quæ non in actus erumpunt, alique navi, quibus nemo per se læditur, & ab homine evitari vix possunt, nec non actiones intellectus, quæ cogitationum causæ existunt. Nam cogitationis poenam nemo perferre cogitur.

89. Delictis injuncta poena respondeat, eaque ad corrigendam & coercendam civium improbitatem sufficiat. Si res ablata cum fructu suo restituatur, vocatur talio simplex; Sin autem res pretio æstimetur aut tantundem aliis rebus pensetur, talio proportionalis dicitur.

90. Et hic etiam personarum habetur ratio. Nam pauperem & divitem eadem multa non æque gravabit.

91. Nec respectus meritorum, ut quæ cau-



ſæ delinquentem impulerint, quæque eundem a delinquendo detrahere debuerint, item, ætas, ſtatus, opes, vires conſiderentur delinquentis.

92. Eodem pertinent merita virtutis, in ipſo delinquente ejusve majoribus, quorum gratia aliquis aut a pœna legis liberatur, aut mitiori pœna afficitur.

93. Sæpe & pœnas participant, qui delicta participant, ut patres ex dilectis liberorum, Domini ex ſervorum, magiſtratus ex ſubditorum, ſinempe ſcientes peccata ſuorum, tamen non prohibent, cùm poſſent ac deberent prohibere. Quid? etiam cives ſeſe obnoxios faciunt pœnæ, ſi ſuperioris in delictum conſentiant, aut mala faciunt illorum imperio vel ſvaſu.

94. Neque tamen hæredes merita defunctorum perſonalia ſuſtinere ac de iis pœnam perferre tenentur: niſi merita illa cum bonis ejus cohæreant.

95. Princeps pœnam exercens per alios, autor tamen eſt jurisdictionis criminalis, quæ jubet in delicta inquirere, non expectata accuſatione.

Quare

96. Soli Principi in certis cauſis jus aggratiandi conſeſſum apparet, ſi pœna ab homine relaxari poſſit. Ideo

97. Judici ſubalterno jus aggratiandi competit nullum, neque illud auderet exercere ſine ſumma temeritate.

98. Por-

98. Porro ad salutem publicam refertur præter justitiam, & pietas, quæ duo sunt fulcra felicitatis publicæ. Huc igitur

99. Jus sacrorum, quod ad externum eorum statum, quomodo videlicet hæc moderari debeant.

100. Religione, cultuque religioso sublato, confestim omnis virtus, probitas, rerum contractarum fides tollitur, tota autem compages imperii concutitur, imo penitus destruitur.

101. Princeps exequitur jus Numinis, quod ipsius cultum spectat, non autem dispo- nere potest de jure circa sacra. Unde

102. Regulam credendorum, etiam circa religionem naturalem, si sit gentilis, sibi sub- jectis præscribere non potest.

103. Nec eos adigere ad certam Religio- nis formulam, ex ingenio suo conceptam.

104. Multo minus fide a se dissentientibus poenam, minime omnium capitalem infligen- di potestatem habet.

105. Habet tamen potestatem in religionem suorum civium ea parte, qua conducit ad ci- vilem beatitudinem, & sine qua civitatis sa- lus obtineri nequit. Hinc

106. Eam animis eorum imprimat per- svasionem, aut ipsi etiam sibi persvadeant, sub oculis Principis, in re publica neutiquam vi- vi beate, nisi credatur Numen aliquod omni- potens, malas hominem actiones puniens,

bonas præmiis ornans, magistratum Dei vicarium, divinis auspiciis populo præpositum.

107. Cultus divinus personis sacris indiget. Unde

108. Ministri sacri ab usibus profanis separentur, sacris devoveantur.

109. Et in arbitrio Principis est positum, an alteri curam sacrorum demandare velit, retento tamen proprio ac supremo Majestatis jure. Illos sacrorum Antistites alias appellamus.

110. Etiam partem hujus potestatis illis committit jure, qui sacrum gerunt ministerium.

111. Ubique vigilet, ne prætextus sacrorum fraudibus & seleribus januam patetfaciat.

112. Idem sacra peregrina a sedibus imperii sui, si ea civitati noxia esse sentit, amoliri, vel recepta jam ob eandem causam emigrare jubere potest.

113. Quandoque quæ publice minus tolerantur, privatim nihilo secius permittuntur.

114. In statu Christianæ Reipublicæ quædam longe aliter se habent, & archiorem nexum, vimque obligationis sanctiorem revelatio Numinis infert. Hinc

115. Curet magistratus, ut ipse veritatis coelestis cultor intemeratus, cives suos, ad verum lumen salutaris doctrinæ divinitus revelatæ, perducatur, exutaque ignorantia naturali, in lumine Dei viventis veraque in Ecclesia vitam traducant.

116. Non minor cura eum sollicitet pro coetibus

bus.

bus Christianorum conservandis, ne in dogmata, in Sacramenta, in potestatem clavium in verbi interpretationem in volet ausu lca-rio.

117. Quam in rem & ut pietatis externa procuratio suo stet tenore, in Principis potestate est vocatio & constitutio probatorum Ministrorum legum sacrarum & ordinationum Ecclesiasticarum promulgatio, ordinatio cultus publici, disciplina Ecclesiastica, administratio bonorum Ecclesiasticorum, inspectio in Doctores Ecclesiasticos, jus convocandi synodos, jurisdictio Ecclesiastica circa sacra, lites & alia arbitria, jus coetus sacros distinctibus distinguendi.

118. Quoniam vero Princeps hæc munera per se obire non solus potest, & quia, si omnibus negotiis civium aurem admovere ipsemet vellet, rebus aliis vacare haud posset, idcirco per alios facit, quod per se non semper potest. Hinc emergit,

119. Jus tertium ejus, scilicet, Magistratum constituendorum, quo alios vocat in subsidium, vel potius ministerium, quibus, velut instrumentis reipublicæ, partem imperii vel populi suo nomine exercendam mandat.

120. Et hæc est origo Magistratus inferioris, qui jussu atque autoritate sui Principis agit, quicquid agit, neque limites facultatis suæ excedere, citra permissum Principis sui, potest. Et inde

121. Civibus juris dicendæ facultas, seu jurisdictio a Principe delegatur magistratui, cujus

cujus autoritate lites civium cognoscuntur, sententia ex jure dicuntur, quas demum executiones sequuntur.

122. Præterea idem inferior magistratus, potest statuta, legibus superioris nihil derogantia, etiam sine hujus confirmatione, (utilia tamen) concedere.

123. Solet eidem & mixtum concedi imperium, quo statuta & judicata in causis civilibus, modica exercitatione licet, tueri & exequi manu militari, vel pignorum captione, vel multa indictione v. corporis retentione.

124. Ubique vero & in omnibus hisce inferior magistratus superioris subest imperio atque judicio. Hoc pacto

125. Jussus, de suis negotiis rationem reddereteneretur,

126. Juribus istis omnibus, vel in poenam, vel ob alias causas potest exui.

127. Cæterum omnia officia reipublicæ a summo Imperante dependent. Itaque

128. Omnes officiales sunt Imperantis subditi.

129. Rapere volens munus aliquod publicum absque indultu vel autoritate Imperantis, læsæ Majestatis reus evadit.

130. Officiales tales quicquid possunt aut valent, id Imperanti debent.

131. Idem superiori ad rationes reddendas tenentur. Sic

132. Ab inferiore rem suam male agente licet provocare ad superiorem. 133. Offi-

133. **Officiales virtute excellent, aliter eligi non possunt.**

134. **Vel nolentes ad munus cogi possunt.**

135. **Male administrantes rursus deponi possunt, etiam a munere hæretitando.**

136. **Extra ordinem quoque legi possunt, ad negotium aliquod exequendum, & istius modi alias commissarios appellamus.**

137. **Nisi lex patriæ aut pactum obstet, etiam extranei ad munia publica licite assumantur.**

138. **Constituuntur autem officiales præter magistratum jam dictum varii generis & conditionis, temporarii, perpetui, sustinentes personalia, vel hæreditaria officia.**

139. **Spem dare ad officium post vacaturum seu expectativam potest Princeps, eandem & revocare, nisi in reipublicæ commodum concessa sit, potest.**

140. **Alium quoque ei, qui adhuc officio præest, potest substituere.**

141. **Habiles excludens ab officio, peccat in commoda publica.**

142. **In arbitrio est Imperantis, an Officium renunciationem velit admittere.**

143. **Honorum publicorum æstimatio, a iudicio ejusdem pendet, quasi a norma estimationis publicæ.**

144. **Quem magno honore dignum censet Princeps, ab omnibus civibus patriæ magno honore dignus habeatur.**

145. **Ex**

145. Exiguo honore fere afficitur, exiguo honore dignus reputatus ab Imperante.

146. Infamia publica autorem haud alium admittit, nisi summæ rerum præstitutum, i.e. Principem.

147. Infamia publica, nisi eodem jubente, aboleri non potest.

148. Ut Princeps commodius & validius administret ac defendat imperium, necesse est eum instructum satis esse pecunia, rerum gendarum nervo, partim ad sustentationem, aulæ, partim ad erogandas impensas publicas. Hinc

149. Jus tributorum & vectigalium. Ex quo

150. Partem bonorum a civibus possessorum potest deposcere.

151. Cives adigere, ut tantum conferant, quantum opus est, ad sumtus publicos.

152. Operas flagitare cives.

153. De mercibus importandis & exportandis, deque rebus consumendis, certam pecuniæ portionem accipere, per modum reddituum acciforum.

154. Per territorium nostrum iter facientes jure aliquid pendunt pro securitate atque viis commodis.

155. Sic & navigantes suum pendant.

156. Viator tamen sua culpa damnum incurrens in alicujus territorio, sibi, non Domino territorii, imputet.

157. Si

157. Si autem in damnum incidat ob vias male instructas, vel prædones, quod securitatis suæ vel sui commercii causa solverat, vectigal, reposcere potest.

158. Quemadmodum modus subsidiorum civilium Principi debitorum, a voluntate Imperantis est, salutis publicæ mensuram præ oculis habentis: ita ab illis nemo, qui sub hoc imperio vivit, immunis est, & exemptus præsumitur ab oneribus civilibus, nisi summe inops, & privilegio dotatus, quod tamen extrema necessitas suspendit.

159. Jus collectarum etiam inferiori magistratui imperari a superiore potest.

160. Ubi imperio urgens inopia necessitasve instat: Princeps bona civium suorum ob commodum patriæ usurpare in usus publicos potest. Idque jus appellatur dominium eminentis. Hinc

161. Nisi utilitate publica exigente, frustra prætenditur eminentis istoc dominium.

162. Ex publico civi damnum datum postea pensatur, excepta rata, cui porrigenda ipse ex legibus imperii se obstrictum videt.

163. Quoniam bello pax paritur, sine pace autem nulla salus imperii speranda: ex eo apparet Jus belli aut Pacis, de quibus infra distinctis capitibus.

164. Ex jure belli fluit jus armorum institutorum s. armandiæ, quod facultatem dat ad armamentaria publice instruenda, ad arma

fa-



fabricanda, ad cives armandos, vel inermes reddendos &c.

165. Jus fortalitorum seu munimentorum & jus collectandi, operas exigendi civium, agros horum occupandi, ob munimentorum vel arcium structuram & defensionem, reparationem, castrum civis, ingruente necessitate publica, in suum usum convertendi, communiendi, insidendi.

166. Jus præsidiorum, quo Princeps nititur, arces & oppida præmunita cum milite præsidario tueri intendit. Eoque nomine excubiæ imponuntur civibus, & cogente necessitate, etiam dignitate eminentibus.

167. Jus conscribendorum militum & delectus militaris in suo tormentorio.

168. Jus metationis, cujus vigore milites patriæ inter hospitia civium recipiuntur. Privilegium circa hoc jus datum non admittit, non audit extrema necessitas. Distributio militum in ipsas ædes hospitem magistraturæ inferiori permittitur.

169. Cum hospitalitas alimenta quoque plerumque desiderat: patet militibus alimoniam sumtusque deberi, si non omni, certe aliqua ex parte.

170. Jus sequelæ cives cogit pro patria tuenda in militiam ire, Principemque armatum sequi, si ita postulet salus omnium, etiam extra terminos territorii, idque suis sumtibus.

171. Jus belli connexum habet jus pacis, non a Duce exercitus (alias non valiturum, nisi

nisi pacis sanctionem ratam habeat Princeps) sed ab ipso Imperante exercendum.

172. Ad summam potestatem pertinent adhuc jura alia, quibus quidem imperii salus non directe expeditur, sed indirecte tamen salutis illi prudenter consulitur, ut sunt jus venationis, & de eo jure dispositio, jus saltuum (forestorum) montium, sylvarum desertorum, jus mineralium, thesauri, fluminum & lignorum per flumen demittendorum.

173. Inter hæc jura jus collegiorum, non sicco pede transilire volumus, siquidem eo societates publicæ inter cives quocunque de honesto negotio, iniri consueverunt. Hinc imperantium est,

174. Vigilare, ne quid horum occasione detrimenti capiat res publica.

175. Dirigere collegas, ut cives ex certa causa ita consociatos.

176. Prohibere subinde collégia, gravioribus intervenientibus causis.

177. Aut si minus prohibeantur, tolerare eadem demum post approbationem suam & confirmationem.

178. Novas ejusmodi societates erigere, easque instruere legibus, privilegiis, institutis.

179. Sæpius & cogere cives, ut talibus collegiis se associant, suumque officium illic faciant, si e re communi id futurum esse animadvertitur.

180. Pacta collegiorum suo judicio & inspectioni subicere.

181. De-

181. Denique collegia moderari, constitutisque limitibus agendi modum definire.

182. Salutis publicæ interest imperium perstare, partes imperii conjunctas & corpori innexas manere. Hinc

183. Imperium imperiique partes Principes alienare non possunt, nisi illud titulo privato, e. g. jure emtionis, donationis, acquisiverunt, aut jure belli. Unde

184. In talibus plenior disponendi facultas, moderata tamen relicta est Regibus.

185. Alienare licet imperium, aut imperii partes, cum urget necessitas, & utilitas publica. Talis enim alienatio, administratione imperii continetur, & in Principis obligationem influit.

186. Neque minus commodum patriz requirit, contractus Imperantis jure fundari. Unde

187. Princeps minorennis restitutionem in integrum non potest petere, nisi fuerit impubes. Aut enim contraxit, autoribus tutoribus vel curatoribus, & cessat restitutio, cum alioquin nemo cum regni administratoribus esset contracturus, si sciret, contractum cum talibus factum irritum pronunciari. Aut contraxit cum Principe æque absoluto, & peræque adhuc cessat restitutio. Aut cum privato iniit contractum, & eodem jure utetur Princeps, quo privatus utitur, & arbitros eo nomine constitutos admittet, qui

qui judicaturi sint, quatenus Princeps caliditate alterius, & per lubricum ætatis læsus fuerit. At si Princeps arbitrorum judicio nolit stare, ereditori jus dicitur quidem, sed sine executione, ob majestatem venerandam Principis.

188. Si Princeps antecessor intra justos administrationis terminos contraxerit, successor tenetur ex lege justitiæ. Fuit enim contractum ad publicam & utilitatem & dignitatem.

189. Contracta legitime propter imperium & regimen imperii successor jure non potest rejicere, sed iisdem servandis se alligatum noverit.

190. Contracta ratione patrimonii privati solos hæredes obligant.

191. Intolerabilis vero contractus a priore Principe conglutinatus, nec eum quidem obstringit, qui jure hæreditatis ad regnum pervenit.

192. Princeps beneficia collata regulariter non revocat, nec donationes, nec privilegia & id genus alia: nisi hæc detrimento sint futura atque progressu temporis demum appareat, tales concessiones republicæ perniciosas esse aut fore. Quam obrem

193. Istiusmodi subest clausula: Si res in suo statu permanserit.

T

CAPUT III.

DE

OFFICIO IMPERANTIUM

§. I.

**O**fficio Imperantium est actio, ad cuius præstationem Imperantes salus populi obligat.

I. Officium hoc est actio. Unde

1. Non de contemplatione nuda, sed salutaris usu rerum, ad imperandi prudentiam necessarium, hoc loco agitur.

2. Neque saltem res juris & virtutis speculatio in hoc officium cadunt, sed & vel præcipue utriusque diligens tractatio, studium, industria.

3. Grave onus valdeque arduum ad clavum imperii sedere, & tempestates undique circumsonantes declinare, denique in mari, ut in porto, navem tranquillam tenere.

4. Negligunt non sine vulnere conscientiarum suam, qui populi sibi commissi salutem negligunt.

5. Sapienter Homerus: Non decet in totam noctem stertere eum, cui populi commissi & tantarum rerum moles impõsita est.

II. Officium ad actionis præstationem obligat Imperantes. Hinc

1. Magistratus proprium munus est, intelligere, se personam gerere civitatis.

2. Adeo.

2. Adeoque sese pastorem populi vocari, non gregis aut pecoris: id quod genus meditationis ex dignitate humana resultans, cautos & religiosos & in subjectos bene animatos faciat magistratus, omnis denique virtutis ac sollicitudinis officiique culturam atque observantiam illis imprimat.

3. Nihil refert, jure proprio, an vicario aliquis præsit reipublicæ, idque ex finis ubique ejusdem necessitate, undique virtutem exigente, qui est salus populi.

4. Videbit autem Imperans ex imperii constitutione & pacto, quid sibi faciendum ut imperanti, quid fugiendum sit, ad perfecti Principis mensuram explendam.

5. Misera est civium societas ea, cujus gubernator omni obligationi se subtrahit, & eam existimat libertatem, in qua, quicquid libeat, liceat.

6. Et sapienter aliud dixit Cleobulus, ibi demum se modeste populum gerere, ubi, qui rempublicam gubernarent, infamiam potius, quam leges vererentur.

7. Unde Principem non sola lex scripta & non scripta, sed & honestas vitæ morumque in tantum fastigium convenientium integritas generosa perficiunt.

III. Officium Imperantium tendit ad salutem populi: Ergo

1. Princeps, instrumenta publica, & grandia

T 2

dia

dia coeli deposita, suis humeris salutem publicam sustinent, quibus labantibus & hæc labor.

2. Magistratus non directe curare tenetur populi salutem æternam, quæ alterius fori est, cum ea cura, ut res ab intellectus cognitione profecta, non ab imperio civili pendeat. Nisi quod Christianus magistratus, externas Christianorum curas non potest, nec debet negligere, & errore obritos, quantum in se condocere.

3. Beatitudo civilis directe & singulari diligentia animum regentis sollicitet, ne quid calamitatis affligat populum.

4. Servanda maxime tranquillitas patriæ, qua servata, omnium gliscit incolumitas.

5. Amissam quidem civium, vel interturbatam sanis consiliis & magna festinatione revocet, stabiliatque imperii moderator.

6. Discordiarum odiique semina in prima herba suffocet, elidat, eradicet.

7. Arcendus propterea a sedibus patriæ furor hostium & immanitas: ut quies in terra pari fastigio stent.

8. Exortoque bello, ambabus excipiatur pacis reductæ faustitas.

9. Nulla inter incolas regni querela audiat, de rerum necessariorum indigentia.

10. Nemo innocens juris quæsi jacturam, ne ulla quidem ex parte faciat.

xi. Quis-

11. Quisque sua libertate, pro indole regni, fruatur sine noxa.

12. Faceffant a civitate cenfores nauſutium & illicitum ſibi de factis conſiliis, que Principis ſumentes iudicium, quo rebellionis turbarumque inter cives ſemina vipersa diſperguntur.

13. Effrenis illa tyrannorum occidendi licentia exulet non minus a finibus imperii, quam parentium animis, quam in rem doctrinae pie & prudentes circumſonent.

14. Credant cives, quod imperio invigilantes, non ſubjecti ſint legibus civilibus, & credant hoc, ad robur auctoritatis publicae imperiique ſtabilimentum.

15. Nec ſibi cives perſvadeant, ſeſe abſolutum ſuarum rerum Dominium tenere, nec teneri rei publicae laboranti ex illis ſuppeticas ferre. Quod ne falſo concipiatur, animis doctorum eſt, per magistratum conſtitutorum, praecavere, easque doctrinas ſpargere, quae non obſint, ſed potius proſint imperiis.

16. Sacrum putetur avarium, praecipue facultatibus locuples. Ideo

17. Parſimonia munifica imperantem ornat, & in tributis & vectigalibus moderatio amabilis, & in oneribus imponendis juſta aequalitas; ſique parum ipſemet a copiis inſtruetus ſit, ſuos tamen opulentos videre gaudeat.

T 3

18. Huc



18. Huc commercia, artificumque & opificum studia, quibus florentibus, non facile auditur querimonia.

19. Factionibus medetur, superborum, invidiorum, ambitiosorum depressio, otii redundantis ablatio, dissidiorum civilium opportuna compositio

20. Arcibus quoque muniendis non minimum consulitur tranquillitati publicæ.

21. At omnium munimentorum vincit, miles fortis, exercitatus, amore flagrans in patriam, in Principem, pro utroque vitam depacisci, si ita necessitas ferat, nunquam detrectans.

22. Omnium instar animus in pectore præsens, qui leonino impetu pugnet pro suis, & rebus adversis invictum animi robur opponat.

23. Viget incolumitas civitatis, vigente disciplina, quam moderari bonis moribus invehendis, in vectos bono omine, deinde prospero successu retinere & conservare decet.

24. Rebelles compestere jus imperii jubet, & justum imperantis iudicium.

25. Provinciam imperio resistentem, & contumaciter perseverantem in renisu præstat dimittere ad sanos perseverandos a contagione, si aliud non forte suppetat remedium, quàm connivendo malum alere in visceribus.

26. Clementer temperata vindicis moderatio

ratio ingentem sæpenumero peperit admirationem sui, & ipsas furias mites quasi redde-  
re visum est.

27. Legis dulcedo ab ipsius Regis expectanda exemplo est, quod cum intuentur ci-  
ves, amabile sibi obligandi vinculum im-  
positum videre se credunt.

28. Amarum, legum farraginem accumu-  
lare in ingentem cumulum. Obruit multi-  
tudo, paucitas, eaque sanctior & observan-  
tior sui relevat & sanat.

29. Amor & metus, optimi ad diuturnita-  
tem custodes, quantum inter se pugnant, tam  
pulchros ex se fructus pariunt, si a regnatore  
consocientur.

30. Quandoque consociata hæc in duas  
partes abeunt, cum amor in bonos fertur,  
metu mali coercentur. Etenim metus se-  
veritatem, severamque juris usurpationem  
deposcit sibi.

31. Est, ubi dicta duo impari inveniantur  
dignatione; scilicet inter vitiosos & scelera-  
tos summus rerum moderator Princeps  
metui mavult, quam diligi.

32. In reliquo gubernandi cursu, ubi amor  
atque metus eodem veniunt pretio, & quasi  
pari passu ambulant, melius tamen erit, ama-  
ri, quam timeri, i. e. rem svavem austeræ at-  
que horridulæ anteponere.

33. Labore & virtute civium non abuti de-  
cet ad perfruendas delicias, sed ingens felici-

tas regni potius habetur, magistratus labore atque virtute frui posse ad otium & tranquillitatem.

34. Postremo graviter Augustinus: Remota justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia?

35. Ac proinde, (quod primo loco ponendum, ponderis causa ultima tenet) Princeps nunquam excedat terminos suæ facultatis, quæque de potestate imperantium dicta sunt priori capite, eadem ut caste integreque serventur, omnis cura impendatur.

36. Justitiæ connexa fides soror, qua haud vinculum sanctius imperantes inter & parentes orbis novit; imo nulla re propius ad Dei similitudinem accedit Princeps fide, doctorum conventorumque constantia.

#### CAPUT IV.

DE

### SUBJECTIONE ET OFFICIO CIVIUM.

§. I.

**H**omines antequam suæ utilitatis causa & ut, aucto genere humano, dignitatem naturæ suæ melius custodirent, in civitatem coalescunt, voluntatem & jura sua in imperantes transferunt, pro ratione reipublicæ ex pacto instruenda. Unde

Civis est persona sub imperio superioris constituta, publici commodi causa.

Ci.

**I. Civis est persona. E.**

1. Subjectio directe ejus personam attingit, non res aut possessiones. Adeoque

2. Si quis in alieno territorio depositas habeat res aliquas suas, non inde ejus subjectio in territorio probabitur.

3. Qui a sua civitate deditus, nec receptus ab aliis est, manet civis, quia persona non venit in alium statum, sed priorem adhuc retinet.

4. Contra ubi deditus etiam sit acceptus, licet succedente tempore redierit, non amplius erit civis prioris regni, quia persona ipsius jam in aliam civitatem transferat.

5. Extincta persona, jus civitatis extinguitur, nisi successio posterorum excepta fuerit pacto; aut filius defuncti civitatem impetraverit.

6. Quanquam omnis civis persona sit, non tamen inter se, qua dignitatem civilem, cives æquales censentur, etenim multæ causæ interveniunt, inæqualitatem inducturæ, ut ambitio, forma, existimatio, insignia merita, nobilis fortuna, imperantis gratia nunc in singulas personas, nunc in integras familias se effundens. Quæ est origo dignitatum civilium.

**II. Civis sub Imperio superioris constituitur.**

Igitur

1. Qui ab Imperante discedit extra rempublicam, libertatem naturæ postliminio adipiscitur.

T 5

2. Di-

2. Dignitatisque civilis characterem amittit.

3. Eumque in aliis rebus publicis non potest sibi arrogare.

4. Quemadmodum infamia prioris civitatis, post discessum apud novum populum ferre expirare solet.

5. Libertatis naturalis detrimentum sunt passi, alii magis, alii minus, prout res publicæ majori vel minori immunitate gaudent. Si quidem in quibusdam rebus publicis unus absolute imperat, ubi subditi vicissim absolute parent: in quibusdam quædam administrationis pars, aut cura civibus mansit residua, & illi non absolute parere dicendi sunt.

6. Obligantur tamen omnes ad subjectionem non absolute, sed suo quique modo, & obligantur imperantibus, si res mandata in subiecti sit potestate, & intellectui humano congruat, h. e. naturali & divino juri non adverfetur. Inde illud: Plus oportet Deo obedire, quam hominibus. Et propterea

7. Carnifex jussu magistratus, non potest occidere innocentem.

8. Princeps excedit facultatis suæ terminos, & quidem notione, si præceptis naturæ contraria jubeat, si res fidei & intellectus, quæ non sunt in arbitrio humano, pro imperio præscribat, si hostem immittat provinciis suis, si bellum gerat, contra sibi subiectos, si leges, imperii fundamina, destruat, frangatque,

si

si iniuste in cives sæviat, & omne fas, pium  
que profligatum e patria appareat.

9. Qui in territorio imperantis aliquandiu  
vivunt, subjecti perpetui censentur, qui vero  
e peregrinis commorantur, subjecti tempo-  
rarii habentur.

10. Subjectionis autem manifestum indici-  
um, ipsa imperii admissio.

11. Nisi aliter statutum pacto publico, re-  
cipiendi subditi potestas penes imperantem  
est.

12. Homagia subjectionem non constitu-  
unt, sed confirmant, & securitatem imperan-  
tis augent.

13. Quidam subditi sunt immediate sub  
imperio suorum Principum. Quidam me-  
diate, alterius superioris interventu, qui ta-  
men illum recognoscat superiorem. Qui-  
dam hactenus mediati, jam fiunt immediati,  
postquam a magistratu subordinati superioris  
sui non amplius pendent.

14. Clerici quoque imperio non sunt exempti,

15. Nec illustres nec digniores viri vel fa-  
miliz.

16. Et ne quidem conjunx & liberi impe-  
rantis, nisi quod his magis indulgetur.

17. Mutatis imperantibus, status subdito-  
rum tamen non immutatur.

18. Obedientia imperanti debita etiam con-  
scientiam stringit.

19. Eadem reluctari regentibus vetat; quan-  
tumvis duris & impiis aut infidis. 20. Nec

20. Nec relaxari hæc potestas aliis imperandi ullo modo potest ab hominibus: adeo ut si jubendo peccetur, non semper exequendo peccetur.

21. Tantum istoc parendi vinculum existit, ut ad injurias imperantis ferendas obstringantur cives; neque pro religione tuenda arma possint capere.

22. Magistratui subalterno pro mensura status sui obsequium debetur, sed quatenus id superiori non derogat, aut ejus imperio repugnet.

23. Hæc subjeçtio eo usque durat, dum a suo Imperante defendi queant; secus si in victoris imperium transferantur subditi.

III. Civis commodi publici causa constituitur. Hinc

Quod ad Imperantem.

1. Præter obsequium jam dictum, honor, observantia, amor, animus præsentis regimine contentus, a tumultu, a rebellionem, ac partibus perniciosis alienus, contra laus & approbatio Principis & pro ejus salute atque incolumitate devota pietas mensque casta requiritur.

Quod ad ipsam civitatem.

2. Similiter pro salute ac prosperitate ejus tanquam pro aris & focis certet, & quantum in suis viribus est positum, omnes ingenii, industriæ, opum nervos pro felicitate publica contendat, neque saltem ut conservetur, sed &

& ut augeatur & splendescat patriæ suæ gloria, curam gerat.

Quod ad concives.

3. Cum iis tranquille & pacate debet vivere, eorumque gaudere bonis, æqualem societatem, quam civitatis indoles deposcit edere, ut inter membra ejus societatis fieri conveniebat, reipublicæ causa, non indignari, libertatem naturalem per imperium civile sibi diminutam, aut etiam prorsus ablatam, concivem eo honore dignum existimare, quem in eum contulit civitas, neque in ejusdem famam violenter irruere, contra bene convenientibus mutuam benevolentiam præstare. Quamobrem.

4. Matrimonia justa lege suscipiantur & colantur, quo etiam civitati ea conjunctio salutaris evadat. Ex quo fonte enata sponsalia, solennitates nuptiales, & inter Christianos benedictiones sacerdotales.

5. Officia humanitatis ex imperio evadunt necessaria, indeque jure civili tutelæ necessitas a magistratu imposita deprehenditur.

6. Pauperum alimonia, in se libera in civitate sæpe injuncta inveniuntur.

7. Contractus civiles rebus pretium statuunt.

8. Facultas disponendi de rebus suis in actum aliquando contrahitur apud cives, quæ in statu nat. laxior est.

9. Res



9. Res debita per magistratum potest eripi, nisi debitor ipse ad solvendum paratus sit.

10. Jura civium subsunt imperantis dispositioni, & communi omnium salutis subor-  
dinantur.

11. Defensio sui præ statu nat. multum recisa, in civitate multa relinquit judici, quæ naturalis libertas unicuique permittebat.

12. Ut summas rei attingam, libertas civilis talis est, qualem, si præclare agitur, salus reipublicæ finit esse.

Quod ad officiales imperii

13. Docentes in scholis id agant sedulo, ut discipulos faciant pios, probos, eruditos, sanis doctrinis atque utilibus.

14. Docentes in Ecclesia puritatem doctrinæ cum vitæ sanctimonia conjungentes, homines sui similes, quod est doctrina illibatos, moribus & vita inculpatos reddant.

15. Consultores sanctioris Senatus salutem civium ut Palladium custodiant, secreta consilia fideli tegant silentio, jura imperii animo comprehensa sarta ac tecta præstent sua vigilantia, Principibus in fraudem suæ reipublicæ aures non aperiant, neque auro neque honorum splendore expugnabiles, semper & ubique veritatem & rectam animi sententiam, etiam in vitis Principibus suis profiteantur.

16. Justitiæ moderatores, personarum fucosa specie non sibi imponi patiantur, cuique jus dicant, neminis detrectantes causam,

in-

innocentem protegant, nocentem dominari  
innoxio prohibeant, lites maturis studiis  
componant, comperendinationes fugiant,  
ne inaurandas sibi, manus porrigant corru-  
ptoribus, denique ipsam justitiam sua dili-  
gentia & solertia exhilarent.

17. Præfecti ærariorum publicorum, mo-  
re œconomorum cautorum tabulas accepto-  
rum & expensorum præ oculis habeant, a ci-  
vibus non plus, quam statutum, & id mode-  
sta lenitate, sine omni acerbitate, exigant.  
Collecta non in suos loculos, sed in usus pu-  
blicos congerant, non potius novis tributis  
excogitandis, quam veteribus mitigandis, si  
cives prægravent, ingenii vim intendentes.

18. Militiæ Ministri fortitudinis exemplar  
ipsi, præbeant suis militibus, hos instruere ar-  
mis, stipendiis solutis alere, hos in hostem  
pugnando victoriam reportare, & militis la-  
bores & duritiam tolerare, præsentis animo  
doceant. Milites gregarii ad nutum parati  
Ducum suorum in statione stent intrepidi,  
castra sequantur impavidi, æstus & frigora,  
sæpe & famem ac sitim perferant impertur-  
bati, in acie stent inconcussi, in hostem ru-  
ant invicti, & quoties robustas depromenda  
animi, inexpugnabiles appareant.

19. Legatos commendat magnificus & mu-  
nificus animus, ingenium solers & ad præsen-  
tia negotia aptissimum, linguæ continentia,  
oris facundia innoxia, cura pro conservanda  
& augenda reipublicæ suæ opulentia, dignita-  
te, potentia & juribus.

20. Ci-

20. Civium officia specialia desinunt, cum officio se abdicant, generalia, quibus reipublicæ devincti sunt, finem sortiuntur, expirante jure civitatis, quod discessu e civitate, vel poena exilii inflicta ob antegressum delictum, vel vi hostili, qua devincti in victoris jura ire compelluntur.

21. Cives virtute integra vitæque innocentia sibi comparare studeant existimationem bonam atque honorem, quem non jure exposcant, non impetu flagitent, non aliis iniuris extorqueant, sed delatum accipiant, non delatum expectent, vel modeste de more ambiant.

22. Honores & munera honoris ab eo capiant, cui ea largiri jus est, h. e. ab ipsa summa potestate, & cui hæc illa concessa voluit.

## CAPUT V.

DE

# RENASCENTE CIVIUM LIBERTATE.

§. I.

**C**ives, ad libertatem a natura nati homines, non absolute subsunt imperio, sed cum mutatione status sui & publici, quippe obligatio civilis mutari, imo & prorsus tolli potest. Hinc exempli gratia,

1. Cum

1. Cum cives imperio emigrant, nisi vinculum aliquod obstat, aut lex patriæ, aut temporis ratio.

2. Emigranti tamen aliquod onus imponi nihil vetat, in emolumentum patriæ, quam sit deserturus.

3. Cum, extincta domo regnatrice, cives redeunt ad libertatem primævam, ubi quidem situm est in eorum arbitrio, an permanere deinceps in recuperata postliminio libertate, aut iterum de imperio civili sibi prospicere velint.

4. Idem possunt provinciæ plures sub uno capite hæctenus conglutinatæ, cum caput illud amiserunt, Ex quo per se consequitur,

5. Non amplius existentes sub imperio, non amplius subjectos imperio reputari. Nam obligatio, sublata causa, insimul exspirat.

6. Consentientibus autem in rempublicam instaurandam civibus, nova oritur res publica, nec jura antiqua invalescunt.

7. Et hoc rerum articulo imperium cuique pro lubitu populi potest deferri, formaque imperii mutari.

8. Testamentum defuncti non obstat, nam id quidem populum non obligat, ex dictis rationibus.

9. Quid vero si vivens adhuc Princeps alteri tradat imperium? ac ea traditio irrita

U

erit

erit, nisi Principi a populo concessa sit alienandi facultas, vel conditio imperii fors ita fieri jubeat.

10. Ut vacat imperium per regentis mortem; ita Collatio fit imperii per electionem, quam populus vel per se, vel per alios expedire potest, & hoc aut expresse, aut tacite. Unde

11. Facta Electione nova, nova consequitur submissio, simul modus regnandi fuerit dispositus.

12. Quod si præscriptionis formula aliqua obscuritate laborat, videntur Principi electo interpretandi partes datæ.

13. Electio quoque ad unum directa ab initio, ad posteros electi pariter pertinet, nisi expressa sola præsentis persona legatur, exclusis posteris.

14. Ubi personam unam non egreditur imperium, ibi populo statim, mortuo imperante, revirescit libertas, quod secus se habebat in posterorum quoque successione.

15. Ubi autem populus a victore subigitur, ibi succedendi leges ab arbitrio victoris dependunt.

16. In successione liberorum disquiratur, præsumptio populi stat pro eorum & proximorum successione, quippe quæ moribus gentium consentanea.

17. Dis-

17. Disputationem vero circa successionem, ipse populus, in alterius verba nondum juratus dijudicet. Non enim Princeps dijudicare potest, nisi jure victoriae sibi regnum acquisiverit.

18. Divisio regni ab initio eius inusitata in populo, non praesumitur postea, casibus emergentibus, suscipi posse, cum unius potius quam plurimum imperio parere velle censeatur populus.

19. Sic pro primogeniti imperio valet praesumptio populi.

20. Nec pro foemina, verum pro masculo potius.

21. Etiam pro impuberibus, cum semel in successionem familiae consensum fuerit, non tamen furiosorum & mente captorum hic ratio habetur.

22. Impuberum successio invexit tutelam illustrium.

23. Hanc determinat lex fundamentalis, & eius defectu, defuncti voluntas, & hujus porro defectu, populi ipsius voluntas.

24. Contingit etiam, imperium ab imperante sua sponte abdicari.

25. Tunc in regno electivo, libertas & jus regnum alteri committendi, reviviscit populi; in successivo non item, dum succedendi ordo viget.

26. Abdicans autem fit privatus, nisi aliter pactus sit.

U 2

27. Ac-

27. Accidit quoque, imperii sedem vacare, per desertionem, nec non per depositionem. Illic populo idem jus adhæret, quod in abdicatione. Hic adhuc disceptatur de potestate de throno sandi, & qui sobrie philosophantur, populo, istam potestatem, aut penitus abjudicant, aut eam in usum venire & in exercitium debere negant.

## CAPUT. VI.

DE

# COLLEGIIS.

§. I.

**C**ollegia sunt societates hominum, communis utilitatis causa constituta.

1. Collegia sunt societates. Hinc  
 1. Possunt constitui tum extra civitatem, in statu naturali, quoniam ut in civitate sæpe instituuntur collegia ex causis privatis, & absque vinculo publico: sic & in statu nat. eadem licet, absque vinculo civitatis, suscipere; tum, & quidem vel potissimum intra civitatem, in statu civili. Et sic

2. Aut ex libertate naturali a sociis ipsis, nunc in statu nat. nunc in civili, constari, aut, & quidem in civili tantum, imperari possunt.

3. Illa ad sociorum ipsorum præcipue hæc etiam ad totius civitatis tendant utilitatem, prout,

prout collegia vel propter collegas ipsos, vel propter rempublicam erecta inveniuntur.

4. Illa imperio subsunt nullius, sed directione voluntaria sociorum reguntur, nisi quod in civili statu a privatis instituta collegia, deinde ob abusum a magistratu corrigantur, vel etiam omnino aboleantur; hæc imperio subsunt, publica que autoritate diriguntur.

5. In statu naturæ homines se consociare in collegia nihil prohibet, licet id minus frequenter accidere videatur.

6. In statu civium non est sublata libertas hæc, ut dixi; sic tamen ut saltem absque consensu, vel inspectione magistratus vix eiusmodi corpora coalescant, & ut subordinentur civitati, si non penitus administrando subjiciuntur civili imperio, præsertim ubi causæ prægnantes accedant administrationis. Unde

7. Etiam ipsi imperantes, ut membra se collegiis quandoque associant.

8. Collegiorum magna deprehenditur varietas. Nam alia dirigunt consultationes publicas, in Aristocratiis, & magis adhuc in Democratiis; alia judicia publica; alia militiam & rem militarem; alia literatorum studia; alia artificia, opificia; alia mercaturam; alia sepulturam mortuorum; alia nuptiarum conubia, aliaque, quorum usum respublicæ invidioses admittit, vel desiderat.



9. Auctoritate summi imperii constituta collegia dicuntur ex eo publica.

10. Sicut civium tantum conventionē coalita, privatorum nomine veniunt.

11. Etiam extraneum quæ habent autorem, adhuc sunt privata.

12. Quid juris publica obtulerint, ex literis imperantium, in eam rem collegio datis, aperte cognoscitur.

13. Si quid contra leges superioris perpetrant collegæ, aut in illud consentiunt, quod contra leges eas fiebat, reliquis collegii membris contra sentientibus, & voce etiam dissentium declarantibus, cum protestatione, hi qui reclamant, poenæ obnoxii non sunt, sed soli illi, qui in leges impigerunt.

14. Si contra leges foundationis deliquerint, soli consentientes constringuntur. Etenim quæ de suo corpore ipsimet ordinarunt, inter membra collegii pro lege valent.

15. Privatorum collegiorum membra in civitate sunt personæ civiles, non tamen civitatis, utpote quæ tantum certis in rebus se conventui subjecerunt. At publicorum membra civitatis etiam, non civiles tantum sunt.

16. Socii non modo ut privati, sed & ut publici, h. e. tota civitas, hoc loco considerantur.

17. Duplex ius nascitur inde collegæ, participet ut membrum, simulque obligatur ad ea, sine quibus societas nequit consistere.

18. Omni-

18. Omnibus hoc oneris datur collegio additis, ut singuli pro rata solvant debitum quod a toto corpore, vel ejus rectoribus constat, juxta leges foundationis, ex bonis communibus solvendum erat, solvi autem non prorsus poterat.

II. Collegia sunt societates hominum. Itaque

1. Ut omnia collegii pro dignitate humana rite ac decenter expediantur, instituta est suffragandi consuetudo, prævio jure ipsa naturæ impresso, cum sine illa jus nostrum in res & actiones non utique defenderemus, aut alia nobis injuncta conficeremus. In quo si collegæ tantum ut veritatem speculaturi, vel ut indagaturi vel illustraturi versantur, veritatem potius amplectantur, ex dictamine rectæ rationis, quam per deliberationes plurium. Sin vero negotia dividenda obveniant, & de actionibus suscipiendis in deliberationem venitur, jure plurium prævalet, tanquam subsidium, quo non aliud commodius societas habet, imo nec dignius.

2. Negotia, si per suffragia votorum expediuntur, majora vota prævalent, nec aliter speratur decisio. Etenim homo natura judicandi vi pollet, pluribusque hominibus idem judicantibus ob dignitatem hominis naturalem, vota plurium habere majorem officaciam, cæterisque paucioribus anteferri debere, existimantur.

U 4.

3. Ubi

3. Ubi ergo vota singulorum unanimia deponuntur, ibi facile negotia atque controversiæ in forum protractæ, ob quandam hominis ambitionem, in alterius sententiam ire non statim parati, felici carent eventu.

4. Votis paribus agitur nihil, sed res manet in suo statu. Nec enim condemnantes condemnarunt, qui pari numero inveniunt absolventes, nec absolventes absolvent, quia pari numero inveniunt condemnantes, & inde sibi æqualibus calculis contradicentes faciunt, ut nihil egisse videantur. Et ita ut homo absolvendus erit, qui nondum est damnatus.

5. In iudiciis, quibus de reo condemnando, & in quantum agitur, damnantes omnes jungi debent contra absolventes omnes.

6. Sique plures condemnantes dissentiant in genere poenæ, jungi debent ii, qui propius idem sentiant. Non enim potest damnari, si dicentur poenæ diversæ, nisi una ex illis intelligatur, in quam omnes consentiunt. Nec potest absolvi, si plures, etsi diversis poenis, condemnant, ob dictam rationem naturalem.

7. Tribus diversis poenis statutis, e. g. una tendit in eadem, altera in fustigationem, tertia in relegationem, prævalet fustigatio tanquam media inter utramque. Nempe qui

qui cedam volebat, etiam minorem poenam  
 fustigationis volebat. Adeo plures senten-  
 tia viscopse unam. Sic tres iudices apud reum  
 puniunt morte apud Gellium; duo alii exi-  
 lio; reliqui duo pecunia. In poenam exilii  
 plures consentiunt nempe quatuor, partim  
 pecuniam, partim exilium ponentes poenam,  
 adversus tres mortem proponentes. Ita a  
 mortis poena quatuor suffragiis mitioribus  
 fuit absolutus, tribus tantum condemnatus,  
 leviolem poenam pecuniae duo tantum ele-  
 gerunt, graviolem quinque. Ergo in gravio-  
 rem poenam exilii plures consentire. Haec  
 aestimatio, cum numeris collata, fit hinc  
 tior, e. g. mors cum centum, exilium cum  
 quinquaginta, multa cum viginti. Plurimi  
 in quinquaginta consentiunt, quis in centum  
 condemnans, consentit & in quinquaginta, &  
 in mortem condemnans, multo magis cum  
 exilio dignum iudicat, quare sententia est il-  
 lius proxima, non autem dignum putat mul-  
 ta, quae sententia ab illo remotior est. Sic  
 duo condemnant apud Quintilianum in in-  
 famiam, duo in exilium, tres in mortem.  
 Media rursus sententia anteponitur, quia  
 quatuor mitiora infamiam & exilium, pro  
 morte, tres asperiora, scilicet mortem addu-  
 cebant. Igitur plurimum superat calculus.  
 Sic uno absolvente, conjunguntur sententiae  
 in poena minima, & absolutio cum minima  
 prope congruit. Item tribus multis posi-

tis in media summæ pecuniæ sit conjunctio.  
Unde

8. Minor æstimatio delicti sub majore comprehenditur, quique in plus condemnat, cum eo, qui proxime ad hanc poenam accedit, procul dubio convenit.

9. Dux pluresve sententiæ semper stant contra unam.

10. Si omnia exempla contuleris, eorum decisio acquiescet in sententiis pluribus, hæ autem nituntur humana præstantia, quam major numerus hominum præ minore extollit, juxta illud: testimonium plurium prævalet testimonio paucorum.

11. Altero judice damnante, altero absolvente, sententia mitior præponderat. Nam naturæ humanæ nobilitas hanc viam molliorem de factis hominum judicandis postulat, quæ & in punientem & in puniendum convenit; illum decebat misericordia æquitate confipata, hunc reverentia in sanguinem humanum, non temere fundendum, aut certe afflictionem hominis non temere immitendam.

12. Absentibus, re integra, jus suffragii competit, nisi hoc eis in poenam sit ademptum, aut per præsentem modo res potuerit confici.

13. Citatus ubi sero ad urnam suffragantium comparuerit, dummodo res adhuc integra sit, nempe inter tempus deliberationi

U s

præ-

præfixum, (nam jus deliberandi & ferendi suffragium usque ad finem definiti illius temporis durat) adhuc dum potest sententiam ferre, & vota in partem majorem adaugere suo calculo.

14. Imo si suffragia jam sint lata ante lapsum dicti temporis, quod suffragiis ferendis præfinitur, calculum allaturus nihilo securius suffragari potest, si forte momentum rei in tali accessu situm fuerit.

15. Post præfinitum autem tempus, reque non amplius integra, finito semel jure suffragandi, sententiam quoque addere vellet intempestivum foret.

16. Si de jure agitur, quod non ad collegium, quatenus tale, pertinet, sed ad singulos per majora non potest auferri quæsitum jus, sed per unanimia; Adeo singulorum hic requiritur consensus, quorum interest.

17. Ubi de negotiis agitur, quæ judicio collegii non subjacent, suffragari non licet, e.g. si divino & naturali jure contraria statuuntur, vel causæ religionis & conscientiæ tractantur. Etenim de his disponere non est hominis.

18. Judices delegatos atque arbitros adesse oportet omnes, nec pars major præsentium negotio decidendo sufficit.

19. Cum membris omnibus non est inditus collegii conventus, majora non valent.

20. Ubi

20. Ubi quisque collegarum habet jus agendi in solidum, & penes singulos summa potestas est, unius dissensus consensum impedit exterorum, est enim in communi causa prohibentis conditio melior.

21. Ne res maneat indecisa, poterunt alia quoque subsidia, e. g. fors, autoritas præsulis vel collegii, interponi.

22. Ut quisque in societatem collegarum fuit cooptatus, ita tenet ordinem; prior tempore, potior ordine.

III. Collegia sunt societates communis utilitatis gratia constitutæ. Unde

1. Cum commune nunc pertineat ad rem publicam, nunc directe ad privatum commodum aliquorum; patet amplitudo utilitatis in hoc argumento.

2. Utilitas igitur omnia ea conquirat adjuvamenta, sine quibus illa obtineri & conservari nequeat. Hinc

3. Ad societatis hujus conservationem quodque membrum collegii suum conferat.

4. Hac de causa inventæ sunt arcæ communes collegiorum, quibus rationes & opes collegii asservantur.

5. Et Administratores, procuratoresve rei gerendæ solent præstitui.

6. Unusquisque sociorum, pro societate juranda, pro modo suæ conditionis, ab ipsa societate sustentatur. Nemini suum officium debet esse damnosum.

7. Ut

7. Ut inter societatis negotiatorum confortes convenit, circa participationem lucri & damni, ita jus habetur. Unde

8. Aliquis lucrum participare sine ullo suo damno, quod alias ipsum ferre oportuisset, potest, quod præter naturam tamen accidere nullis videtur.

9. Potest aliquis in se solum recipere damnum absque ullo lucro, id quod rarissimum, vimque donationis æmulatur, non societatis.

10. At damnum in se derivari pati, ut inde plus lucri reportetur, quam alioquin sperandum erat, id vero inter minus rara specimina cautionis humanæ refertur.

11. Lucrum suum singuli conferant fideliter, ob æqualem distributionem ex eo faciendam.

12. Si alter contulit pecuniam, aut rem, alter operam: tunc opera componitur cum solo usu pecuniæ atque emolumento; solum autem periculum in dominum fortis redundat.

13. Vel opera confertur cum Domino pecuniæ, & tunc iste in re partem habebit, operaque ejus æstimatur, ut pretium forti adjectum; sique pecunia intereat, damnum commune erit, ob communem participationem.

14. Qui tantum contulit operam soluta societate, fortis fit particeps.

15. Dif.



15. Dissoluta societate, quilibet id recipit, quod ante contulerat, subtracto prius lucro vel damno.

16. Deficiente conventionem vel pacto peculiari, pro modo operarum atque onerum commoda honoresque æqualiter distribuuntur, & pro rata fit partitio, habita ratione eorum etiam, quæ quisque initio societati intulit, nisi aliter visum sit paciscentibus.

17. Distributio etiam in damnis locum habet, nam attenditur, per cuius bona societati advenerit sive lucrum sive damnum.

18. In contractu societatis navalis, cuius finis est, defendere adversus hostes mercatores, nisi aliud placuerit, in prædis, damnis, impendiis vulnerariis viget æqualitas. Ex coque

19. Naves æstimantur, & quæ in navi continentur, ut pars quota damni ferendi liquide evadat.

20. Cum magistro navis contrahens, ne cum singulis dominis navis agere oporteat suo cum incommodo, ideo vere firmiterque contraxisse creditur, quia singuli, ex pacta inter se societate, in solidum tenentur ex contractu facto cum magistro navis, & unus stat pro omnibus, quemadmodum omnes pro uno, in quo vinculo omnia fiant humane naturæ rationique rectæ & justitiæ conformia. Hinc

21. Omnis

21. Omnis utilitas veteratoria, subdola, nefaria, vel inhonesta hinc exulet. Adeoq;

22. Artē prædandi antiquorum & hodiernorum dicamus jure esse injustissimam.

23. Oderit sane genus humanum vehementer, & ipse homo in beluam abeat, quicumque licentiam prædandi belluinis istis hominibus concedit.

24. Talem piraticam exercentes capti jure omni latronum poena afficiuntur.

25. Omnique Martis impetu, si aliter Lerna illa malorum extirpari non queat, ejusmodi Harpyiæ frangantur, debellantur, a mari in latibula terrarum repellantur, & semper id agatur, ne tanta barbaria, quæ humanum genus tam nobile foedet, auctis etiam viribus invalescat, sed potius opprimatur.

26. In societate navali, omnibus defensio adversus piratas, omnibus persecutio injuncta intelligitur.

27. Et præda inde capta & lucrum inter socios juste dividitur.

28. Imo absque consensu superioris, contra prædones, tanquam monstra marina & hostes generis humani, ad nudam quidem defensionem valet admiralitas; ad illos autem laceffendos superioris consensus atque concessio utique requiritur.

29. Quæ observatu digna & necessaria in collegiis reliquis, maxime publicis, id ex regulis cuique præscriptis, quas vulgo instructiones vocant, intelligi potest.

30. Jus naturæ id certe præcipit, ut sancte, integreque serventur omnia, quæ aliquis sibi præscripta ac demandata accepit, ita quidem, ut sua negligentia ne latum quidem unguem ab eis recedat, quæ conscientiæ ipsius insignita hæreant.

31. In quo officio semper Dei gloria, civitatis & collegii salus oculos agentis feriant.

## SECTIO V.

DE

# JURE GENTIUM.

## CAPUT I.

DE

### OFFICIIS GENTIUM ABSOLUTIS.

§. I.

**A**bsoluta gentium officia sunt præstationes gentium adversus se ipsos.

I. Sunt præstationes. E.

1. Ut homines singuli officiis erga se ipsos obstringantur ex dignitate naturæ humanæ, adeoque ex voluntate sanctissima Numinis sanctissimi; ita totæ gentes, hoc est, homines, in certos coetus consociati, habent obligationes suas in se exisdem principis, quæ ex numero multitudinis inter gentes majorem splendorem nanciscuntur.

2. Ad commodum gentium ex præstationes tendunt.

Non

3. Non in arbitrio gentium ea sunt posita, sed sine in officiis.

H. Sunt præstationes adversus seipfos.

1. Quædam officia singulis propria etiam in gentes integras conveniunt. Unde

2. Omnis gens, quocumque in tractu terrarum degat, ad Deum cognoscendum & colendum obligatur.

3. Gentem sibi soli vivere, extra commercia cum aliis, res est in se innoxia, & ab aliis gentibus societatem amantibus improbari non potest.

4. Omnis gens alteri genti cuicunque æqualis habeatur, & paris dignationis.

Quocirca

5. Injuria fit genti ab altera in usurpatione sui juris prohibita, aut violentè nulla de causa laceffit.

6. Quævis gens libere potest facere, quæ gentes cæteræ, quæ Jus Naturæ servant, & quæ facultate sibi ab Opt. Creatore concessa non abutuntur.

7. Inest omni populo dignitas & exultatio populi, quam unusquisque sanctam illibatamque tueri studeat, neque derideri se vel contemni ab alio populo patiatum.

8. Ad se conservandum omnem vim corporis, animi, omnesque opes facultatesque, omnia denique consilia adhibent.

9. Non secus ad se defendendum omnes animi ingeniique nervos intendat.

X

10. Cul-

10. Cultura gentis tam necessaria, quam salus populi, siquidem neglecto cultu, gens in sylvestrem naturam abit, socordia torpescit, inertia friget, stupore affectato sterilefcit, imperitia res suas pessundat, apud alios ignominia se exponit.

11. Imperii sui non modo conservacionem, sed & augmentum & amplitudinem intendat, & ut privati etiam accessionibus ditescant.

12. Mores publici sic informandi, ut e singulis civibus aliquid liberale & ingenui pudoris argumentum undiquaque eluceat.

13. Profliganda barbaries morum & ignorantia per viros probos & doctos convocatos.

14. Virescant litera, artes, scientia.

15. Cavenda in his maxime pacis turbanda occasio, ut cupiditas alieni, justitia neglectus, damni reparandi averfatio.

16. Cavenda inhumanitas, ne cum gens cum nulla gente commercia velit exercere, id ex mero contemptu, vel invidia, aliove malo affectu fiat.

17. Nationi inimica gens & patriae illius nationis, adeoque & sibi hostis reputatur.

18. Gentis in natione existentis sensus, animusque cum tota natione congruant, in rebus universum populum attingentibus.

CA.

CAPUT II.

DE

OFFICIIS GENTIUM  
RELATIVIS.

§. 1.

**R**elativa gentium officia sunt præstationes debita gentium adversus se invicem.

§. 2. Debentur autem illæ ex jure naturali, quod ex humana dignitate demonstratur. Hinc

1. Quælibet gens alteram sua quiete uti patiatur.

2. Nullam afficiat damno, dedita opera, & citra antegressam injuriam, negatamque reparationem.

3. Nec altera alterius cives vexet aut lædat.

4. Suum cuique genti relinquat.

5. Sique alicui gratificari aliqua ex parte possit, aut si quid boni conferre valeat in alteram, prompta benevolentia sibi favorem conciliet.

6. Gentis cives peregrinantes a gentibus comiter recipiantur.

7. Alterius gentis commodum, sine incommodo tamen suo, gens unaquæque promoveat.

X 2

8. Judi-

8. **Judicio gentis, quod postulabatur ad controversiam finiendam, suppeditato, ab utraque gente disceptante, illud accipiatur.**

9. **Altera gens alterius imperii Majestatem suspiciat, & ut æque gentem tractet.**

10. **Belli motus Juri naturæ & gentium moratorum consuetudini respondeant. De quo mox, sub Jure belli.**

11. **Exteris populis ad alterius gentis terras aditus liber atque amicus pateat, etiam aliquantisper commorandi libertas permittatur.**

12. **Inhumaniter exercitibus alienis per terram nostram transitus innoxius denegatur, & si justæ adsint transitus permittendi causæ, ut si quis sterilitate frugum compulsus cum populo aut parte populi novas sedes quærat, aut si ad remotas gentes merces sit transvecturus, aut, rem suam gladio repetiturus, ab eo adversario, quem adire absque alterius terræ transitione haud possit, injuste denegatur. Unde denegato injuste transitu, bellum etiam suscipi ea de causa potest.**

13. **Noxius transitus minime concedendus, nisi velimus anguem in sinu fovere.**

14. **Etiam parum tutum exercitui amico transire permitti, cum adversus hostem suum arma arripiat. Nam ita & sedes belli in nostra tellure constitui, & hostis tertius eandem transeundi licentiam, magno cum peri-**

periculo & damno nostro, sibi expetere possent.

15. Ubi vires nobis desunt, ad transitum tam periculosum cohibendum, præstat dissimulare infirmitatem, & patientiæ loricam induere, quam vanam sine viribus iram ostendere, vel imbellem robur robustioribus opponere.

16. Eodem modo res habet cum transcuntibus mercibus, quibus tutum iter per mare, per flumina, per continentes concedere fas est.

17. In quo tamen vectigalia, propter sumtus viis publicis impensos, & securitatem præstitam, & stapulas exigere & solvere, nihil habet injustitiæ vel iniquitatis, nec ista onera cum ipso transitu innoxio commisceri debent; cum hunc dignitas hominum, etiam terrarum orbem patentem in usus suos complexa, requirat; illa ex impensis viarum, adeoque a jure debito proficiantur.

18. Onera vectigalium, præcipue in maribus aggravare nimium, & ultra æquum & impensas in itinere factas plura exigere, non caret iniquitate magna, nec admodum abest ab injuria.

19. Postulare, ut contagiosæ naves nostris in littoribus sedem figant, & arcto temporis spatio in illis persistant, repugnat dignitati naturæ humanæ, quia repugnat a-



mori naturali, qui jubet, me mihi charissimum ut habeam, aliorumque salutem meam postponam.

20. Item, si idem postularetur cum maximo detrimento litterarum nostrorum.

21. Ejectis sedibus patriis, præsertim nihil tale merentibus, intra lares patriæ nostræ recipi semper gloriosum patriæ; civibus recipientibus honorificum fuit.

22. Nisi major nos premat necessitas inopiæ, ita, ut nos ipsi vix nobis sufficiamus, & parum absit, quin evadamus miserabiles istoc receptu. Quam ob causam.

23. Peregrinos expellere non est inhumanum, si ipsi summa penuria laboremus rerum ad vitam necessariorum.

24. Genti res promiscuæ humanitatis præberi, humanum & homini decorum.

25. Ea quoque porrigere, sine quibus vita hominis non vivitur, puta alimenta & vestimenta, quibus & addas medicamenta, in summa laude ponitur, & hæc ad facultatem juris nat. simplicem pertinent, quæ per legem promulgatam, aut alias prohibere nefas. Quare

26. Quilibet sibi res tam necessarias suo pretio parare, nec in eo recte a quoque prohiberi potest.

27. Exteris etiam permittendum, ut sua apud nos vendant; nisi hæc venditio civitati nostræ damnum afferat.

28. Si

28. Si gens rebus necessariis carere debeat, nisi res abundantes apud se vendiderit, nostra autem civitas his non indigeat, non impediendum, a nobis, quo minus aliis extra nostrum territorium vendat; ne rebus necessariis destituta illa, succumbat.

29. Merces ab aliis emtas gens nulla nimis chare vendat genti tertiæ, sed æquitatis & justitiæ rationem habeat.

30. Contra quæ gentes faciunt, in jus gentium peccant, nimis alios sua venditione gravantes.

31. Vendere genti, quod porro alii vendat, non est prohibitum, modo hæc tertiam gentem non ultra justum poscat pecuniam.

32. Pro acceptis beneficiis gratias agamus, jur. nat. ipso nos ad referendam gratiam nos obligante.

33. Matrimonia expetens natio ab altera, salva humanitate, repulsam ferre nequit; nisi alia obstant impedimenta, ut vita criminosa, quæ hæc officium moretur.

34. Exigente autem necessitate, ne gens intercidat ex defectu prolis, etiam jure perfecto conjuges ambiri, nec hæc petentibus abnegati possunt.

35. In tali tamen casu, abundante foeminarum multitudine, Princeps summe desiderantibus certum numerum inuuptarum potest præscribere, at singulas viris singulis in matrimonium destinare & quasi alligare non potest.

36. Nimia peteret, & humanis viribus altiora gens aliqua, quæ alias omnes hujus universitatis tanquam deglutire, & sub suam potestatem cogere auderet, nec temeritate infelicique successu talis fiducia præsidens careret.

### CAPUT III.

DE

## LEGATIS.

S. I.

**L**egatus est minister publicus, a Principe, vel Republica, missus ad Principem, vel Rempublicam, cum illius juribus & obligationibus, negotiorum publicorum causa.

I. Legatus est Minister publicus.

1. Manifesta inde est Legati necessitas, cujus operæ vicaria supponitur, quoties Princeps aut Populus aliquis, neque per se coram possit peragere, neque per litteras forte expediat, publica peragi negotia.

2. Manifesta ejus dignitas, qui tanto excellentior habetur, quanto eminentior Principis amplitudo, splendidiorque Majestas, quoniam tot hominum ejusdem civitatis, in unum corpus & quasi in unam personam compositæ salutem, cui suam fidem obstrinxit, curare debet ex mandato Superioris.

3. Si ipsius absolutum mittendi respiciamus,

mus, omnis homo, qualicunque genere, statu, conditione aut fortuna præditus cæteris paribus, mitti potest. Hinc

4. Nihil impedit, quo minus foeminae possint subire legationem, præsertim, cum negotium per illas melius ac feliciter possit expediri, utut solis viris ordinarie illud competat, utpote quos natura majori solertia, prudentiaque ac robore animi dotavit.

5. Attamen, quia missus in causa publica, nomine Principis, vel Imperantium ablegatur, multo consultius putatur, viros generosos, doctos, peritos rerum gerendarum ad hoc munus destinari.

6. Legatus mandata sibi accuratissime teneat & observet, & ne latum quidem unguem ab eo per se recedat, semper consulens superiorem suum Principem, priusquam causa decidatur, cujus decisionem ipsemet nequaquam in se suscipiat.

7. Licet Legatus mittatur cum charactere repræsentativo Principis: non tamen ideo dignitas illius par est hujus dignitati, sed saltem imago quædam, neque proinde idem honor, qui Principi ipsi, ejus Legato debetur. Hinc

8. Quæ sua natura vel moribus & jure gentium verorum Principum personis propria sunt vel conveniunt, ut ornatus, & titulus, ea non potest sibi arrogare Legatus.

9. Princeps alius verus, cum Legato ti-

X 5

tulo

tulo concurrens, vel comparatus, etsi domino Legati alias sit inferior, Legati tamen præfertur. Quod tamen valet de concursu in iisdem non diversis collegiis. Nam Legatus in superiore Collegio retinebit locum sui Principis, tanquam membrum in collegio superiore; quamvis veri Principes sint in collegio inferiore.

10. Principi manet salva potestas Legatum puniendi, si secretum mandatum sibi in tempeste alteri, ad quem missus est, revelat.

11. Jus talionis cadit in Legatos, qui, ut subditi suorum Principum facta præstare debent. Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiyi.

II. Legatus mittitur a Principe vel Republica. Hinc

1. Jus mittendi Legatos est penes Principes, vel Republicas Majestate imperii gaudentes Unde

2. Etiam Tutores & Curatores Principum, quia Dominum referunt, & jura regalia administrant, possunt Legatos mittere.

3. Etiam impari juncti foedere, nisi impar hoc foedus Majestati deroget.

4. Illi, qui pro parte sunt subditi, pro parte non sunt subditi.

5. Qui ex necessitate (ut in dissensionibus publicis, aut successionebus fit) ita in partes dividuntur, ut nescias, utri parti summum

num imperium competat, aut etiam cum utraque summum prætendat sibi esse.

6. Contra ea Legationis jure destituuntur, omnes Majestate carentes. Unde carent jure Legationis mittendæ.

7. Qui bello legitime devicti regiam dignitatem, i. e. potestatem summam regnandi, penitus amiserunt.

8. Qui sua sponte imperium deseruerunt, quibuscunque ex causis.

9. Qui abdicarunt fasces imperii.

10. Qui regno, expulsi & vi de throno deturbati, nullum regnandi jus amplius habent.

11. Omnes rebelles, piratae, latrones, qui affectantes summam imperantium auctoritatem, præcipue actibus aliquot violentis ac secundis elati, nihil minus quam decus & potestatem regiam sibi possunt vindicare. Nam quod talibus audientia aliquando data legitur, id spe emendationis, & quia venia rogabatur, factum est.

12. Ablegati a provincia aut municipio quopiam, deputati, non legati sunt & dicuntur, neque huc pertinent. Nemo enim alicui potestatem dare potest, qui ipse ea caret. Quapropter.

13. Istiusmodi Ablegati juribus Legatorum non gaudent, verum jure civili reguntur.

14. Est autem Legatorum missio, ponderatis circumstantiis, non una, sed varia. Et  
enim

enim si Princeps Legatum mittit cum caractere, primum tenet fastigium Legatus; si absque tali caractere, Principem, neque honore, neque præcedentia repræsentat. Unde

15. Alii Legati primi ordinis, Latinis Oratores, Gallis Ambassadeurs; alii secundi ordinis, Latinis Alegati, Gallis Envoyes. Discrimen utriusque ordinis ad effectum solum repræsentativi Characteris pertinet. Alegati seu Nuncii plerumque mitti solent, ad parcendum sumptibus, vel maturandum negotium, vel ut circa præcedentiam nulla controversia moveatur, Legatos æquant, quoad securitatem, si & potestatem tractandi ipsam, non vero quoad sessionem & honorem adjectitium.

16. Rursus si Minister in aula externa Legationem gerat ordinariam, ratione ordinariorum negotiorum ordinarius; si præter ordinem amandetur in certis negotiis, Extraordinarius appellatur. Hinc Legati alii ordinarii, alii extraordinarii.

17. Legatus plena instructus sit potentia, ut agat nomine Principis sui, quæ præfens negotium exigit, Plenipotentarius; si restrictam accepit agendi potestatem, forma certa præscripta, Legatus Formularius vocari solet. Exinde Legati alii Plenipotentarii, alii Formularii.

Igitur

18. A

18. A Legatis abeunt Residentes, qui ad negotia publica Principis vel Reipublicæ suæ promiscue administranda, in Aulis quasi resident, diutiusque morantur, quam reliqui Legati consueverunt.

19. Item Agentes, quorum cura in rebus paratis expediendis fere occupatur.

20. Item Tubicines & Tympanistæ, bellicis negotiis adhiberi soliti.

21. Horum quidem idem Jus inviolabilitatis & securitatis publicæ, qua fruuntur, atque dignitas, ut palam, non eadem.

22. Legati apud eos, ad quos non sunt missi, speciali jure Legatorum non gaudent; sed jure communi utuntur.

23. Legatus ad hostem meum iturus, missus ab amico, vel foederato meo, aut tertio quodam, non potest detineri aut affici injuria.

24. Si suspicio sit foedus contra me ictum iri, Legati talis consilii non possunt detineri. Aliter sentiendum, si certum sit & exploratum.

25. Legatus hostis mei ad tertium sive in idem hostem, sive medium faciens iter, occidi potest.

26. Legatus a tertio Principe, ad quem missus, si forte in alium Principem deliquerit, ex eo puniri non potest.

27. Nec ad dedendum talem Principi poscenti non est obligatus Dominus Territorii.

III. Lc.



III. Legatus cum Principis vel Reipublicæ Juribus & obligationibus mittitur. Inde ei competit

1. Vis & autoritas, nomine mittentis, tractandi negotia, ex mandato mittentis ipsi data.

2. Et dignitas, qua Principem suum representat, vi characteris sibi ab eodem concessi.

3. Non tamen hæc dignitas Legati est ipsa dignitas Principis, sed ejus duntaxat imago, umbra, idea.

4. Legatus Principis dari potest cum plenissimo mandato agendi omnia illa, quæ ipse Princeps potest.

5. Legati tamen sint solliciti, ne circa sessionem, aut præcedentiam Dominis suis ullo modo præjudicent, quorum locum, dignitatem & Majestatem vindicare & retinere quam maxime tenentur.

6. Legati non titulo Majestatis aut Superioritatis, sed mandati, ut Vicarii agunt.

7. Geminis literis instruuntur Legati, credentialibus, & mandato arcano. Illis suam personam & potestatem, ut legitimam confirmant, & ratihabitionem ejus, quod Legatus, ut Legatus, sit acturus. Hoc solo Legato pro renata præscriptum intelligitur. Utrumque Principem mittentem obligat.

8. Inter Legatos ejusdem Ordinis, quia potestatibus æqualibus missi, non facile constitui debet inæqualitas.

9. Per-

9. Pertinent huc maxime virtutes Legati, quarum primariae (ad prudentiam Politicam potius referendae) sunt: Cautio circumspecta, quo solida ab inanibus, falsa & ficta a veris discernantur.

10. Taciturnitas in tegendis arcanis imperii necessaria.

11. Animus adversus corruptiones invictus atque utilitatis publicae amans.

12. In observandis singulis diligentia, cum sit quasi oculus Principis emissitius, auris & manus.

13. Calliditas, cum non nisi emunctae naribus ac summi iudicii viri Legationibus apti habeantur, quique dissimulando multa sibi notent, simulando non pauca in melius fingant, & in suam rem, salvo alterius jure, convertant.

14. Quo nomine Politici virtutis loco habent in Principe non postremae, Legatos perpetuos a regno suo avertere, aut non facile admittere.

IV. Legatus mittitur ad alium Principem, vel Republicam.

Hinc

1. Missi a Principe ad subditos, non Legati, sed Commissarii audiunt.

2. Legatus Jure nat. in territorio externi Principis, nullam habet Jurisdictionem, & ex delicto vel contractu posset conveniri. Nam Dominus Territorii Jure agit in delinquentem.

quētes in suo Territorio, & de contractibus judicat, nec Princeps Legatum laedit, dum suo jure agit, siquidem potestas sua se per omne Territorium extendit. Enim vero jure Gentium, consensu expresso vel tacito, faminae potestates rem aliter dispoſuerunt, ut Legatus in Territorio exteri Principis Jurisdictionem a Principe suo sibi concessam in Functione Legationis teneret in comitatum suum. Unde

3. In Legatum & in eos, qui Legati sunt, Principis exteri non valet neque inquisitio, neque detentio; sed aut amice agitur cum Legato ipso, aut ipsius Princeps compellatur sui Legati causa: aut Repressalix adhibentur.

4. Si comites suos delinquentes punire ipse detrectat, admonendus erit, de justitia, neglectusque justitix Legati deferendus Domino: vel etiam, ubi delinquentibus tamen nulla poena infligitur, ipse Princeps exterus, Justitix amore compulsus, faciat, quod dominum territorii decebat, poenamque inferat.

5. Legati bona, quae moveri possunt, pignoris loco, ad solutionem debiti, comprehendendi nequeunt. Itaque

6. Qui cum Legato contrahit, prudenter sibi expetat, atque ab ipso Legato procuret Fideijussores privatos, quos vi sui Magistratus deinceps, ubi opus fuerit, ad justitiam expetendam possit exigere.

V. Le-

V. Legatus mittitur negotiorum publicorum causa.

1. Jus Legatorum ubique valet, apud hostes, apud ac amicos, pacis bellique temporibus, sive indicendum bellum, sive revocandum pacem; sive officii, sive honoris, sive negotii causa Legati ablegati fuerint.

2. Legatus ut persona publica, a summa potestate missa, in arduis negotiis debet admitti, comiterque excipi. Nisi impedimentum obstat, vel intuitu personae missae, vel mittentis, vel rei ipsius, cujus gratia legatio erat suscepta.

3. Impingitur in jus naturae, si Legato aditus denegatur absque justa causa, & in mittentis injuriam ejusmodi cedit denegatio.

4. Legato liberum erit, de sua habitatio-  
ne disponere, & de hospicio.

5. Omnique honore cultuque & existimatione publica intra territorium recipiatur.

6. Et Princeps ipse, qui Legatum admisit, honores consuetos, nisi fortassis eum re infecta discedere velit, denegare non potest.

7. Et ne admissio inhibeatur conducit & necesse est, praemittere nuncium vel ministrum, significatum ante Legati adventum. Nam impedimenta varia possunt obijci, quo minus legatio admitatur, e. g. Principis mittentis avaritia, diffidens jam ante intentata, Legati odium, mala intentio Legationis.

Y

8. Im-

8. Imprimis ei debetur, cujus gratia accesserat, solennis audientia.

9. Legatis ob nullam justam causam repudiatis, sæpe bella exorta leguntur, potest tamen hæc injuria aliis remediis lenioribus vindicari, ut repressaliis, quippe quæ etiam alias non iniquæ videntur in causis quibusdam, ut si Princeps in exterum quid antea commiserit, quo istoc temperamento pretioso sanguini hominum parcatur.

10. Ceremoniæ apud gentes usitatæ, quæque circa solennia Legatorum, ut audientiam, remunerationem, dimissionem, avocationem, & similia hinc inde vigent usu, non juræ ferantur accepta, sed humanis ritibus.

11. Sæpe Legatis, humanitatisque civilitatisque causa quædam præstantur, ut sibi Principes honorem habeant mutuum, vel majorem splendorem Legatis suis concilient.

12. Variantur etiam ceremoniæ non leviter, pro indole & more cuiusque gentis.

13. Imo & mutantur eisdem, in quo tamen d cavendum, ne alteri noceatur hac mutatione, & ut suo tempore fiat, ne malum aliquod inde eveniat. Quamobrem

14. Nihil hic mutare facile, multo est consultius.

15. Interim minime significant legationem violatam omissæ ceremoniæ, aut externæ hujus generis alia.

16. Le.

16. Legato & præstentur & Officia justitiæ, quæ & Legatus vicissim, quantum in se, præstare tenetur.

17. Legati sancti, & inviolabiles habentur & securitate gaudent, jure nat. non saltem jure gent. voluntario. Quod quia tempore pacis, quisque per se fruatur securitate, ad tempora belli restringendum est; & ad statum hostilem. Tunc enim jure naturæ, dum offertur, satisfactio per Legatum, quo pax restituitur, hostis advenientem ob rem tam sacram, & humano generi salutiferam audire obligatus est. Cessante igitur belli injuria, cessat quoque ledendi licentia, & jus hostis in Legatum pacis causa missum. Et licet forte non illico de conditionibus pacis conveniant; tamen dum transactio suspenditur suspendi interim quoque jus belli in Legatum de transactione agentem, necesse est. Hinc

18. Quod si tamen aut in Principem externum, ad quem fuerat missus, aut in statum publicum deliquerit, tunc cessat illa obligatio juris gentium, & naturalis major, quæ hostem ut hostem tractari, & si ita justum reputat Princeps exterus, interim tunc jubet, vigescit.

19. Legati transfugæ, qui ut se pœnæ debite subtrahant, ad hostem se convertunt, eumque consilio & ope adjuvant, reversi post-

in jure debitam delictis suis poenam perferunt.

20. Legato permiffum est, fuis facris uti, nec is alienis a fua religione articulis profertendis & credendis adstringatur.

21. Sicut autem Legatus ipfe (non per fe tamen & directe) fic ejus comites, miniftri, quicunque necessitati Legati inferviunt, & circa quos dignitas ipfius stabiliri & confervari nequeant, imo & fuppeller ejus ad Legationis expeditionem neceffaria, violantur.

22. Siquae Legati ipfi, certis de caufis male tractari queunt: multo magis Miniftri ejusdem inferiores, ut tympanarum pulfatores, artificesque tubarum male tractari, & occidi tradi poterunt.

23. Ob crimen tamen non ita atrociter e regno exteri juberi poffunt, dum a Principe horum fatifieri queat.

24. Inviolabilitas Legatorum tantum in illis terris valet, in quibus expedienda est legatio, non in iis, per quas faltem tranfeunt.

25. Legatus per territorium hoftile pertransiens, inviolabilitate hac non gaudet, ideo, quod negotia nulla apud hoftes, eo pacto expediri debent, & jus gent. tantum eos obligat, ad quos Legatio dirigitur.

26. Diftinguendum tamen, valet fecuritas Legati per territorium tertiæ tranfituri, fr ab amico ad amicum; item fr ab amico ad hoftem

stem eat. Non valet contra, si ab hoste ad amicum; si ab hoste ad hostem tertii, nulla transitus innoxii accepta venia; nec non si tantum speculandi vel nocendi causa veniat.

27. Si bellum oriatur, Legati jubentur excedere.

28. Peracto negotio commisso, desinit dignitas repræsentativa, etsi adhuc subsistat in eodem loco; non vero jus inviolabilitatis, ne securitate itineris in reditu spolietur Legatus.

29. Ergo durante negotiatione, vigent omnia Legatorum jura & qualitas dicta Principem verum adumbrans.

30. Legatus speculator, quisque in perniciem & everisionem reipublicæ aliquid molitur, ad supplicium trahi potest.

31. Eo minus videtur dubitandum, an is crimen læsæ Majestatis, committere possit.

32. Legatus jure gentium a Principe admitti non potest, sed recusari & hostis haberi, quia ab hoste veniens hostis, prohibitus accedere, tamen accessit, & si pertinax ille, eum Princeps eum mansuete suis terris exire jusset, permaneat, ut hostis, quia hostem se fert, puniri poterit.

33. Ex dignatione Legatorum hi a pensione vectigalium, onerumque aliorum immunes sunt.

34. Ad ædes Legatorum, ceu ad asyllum confugitur læpe, exemplis id testantibus, sed



( 342 )  
propterea jus asyloꝝ illis concedendum  
non erit.

CAPUT IV.  
DE  
FOEDERIBVS.

§. I.

**F**oedera sunt pacta imperantium qua tali-  
um inter se, utilitatis vel securitatis pu-  
blicæ causa inita.

I. Foedera sunt pacta imperantium, qua  
taliū, inter se. Ergo

1. Sunt publica, & a privatis pactis vel con-  
tractibus longe discernenda.

2. Differunt foedera a sponſionibus, quia  
hæc ut conventiones publicæ a ministro sum-  
mæ potestatis factæ in negotio publico, &  
quidem absque ipsius summæ potestatis man-  
dato: At illa & autorem agnoscunt sum-  
mum Principem, qui vel ipse jungit foedera,  
vel jubet Ministrum, ut suo nomine jungat.  
Unde

3. Minister per se, nisi a suo Principe vel  
republica instructus & jussus, non potest con-  
trahere foedera.

4. Princeps ex sponſione Ministri per se  
non obligatur.

5. Et nisi velit sponſum istum ratum habe-  
re suo consensu post accedente, sponſio pro-  
fus nulla existimatur.

6. Mini-

6. Minister autem ad spondendum facilis? si jure sponderit, quomodo fidem alteri, cui spondit, solvat, ipse viderit.

7. Ex eoque miserum se reddit, ob satisfactionem alteri, cujus interest, vel in facultatibus, vel corpore præstandam, eo, quod pictura inani paverit illum, cum quo pactus videbatur.

8. Sed in hoc ministri tamen observanda accurate est obligatio. Si enim spondeat, Principem hoc vel illud facturum; tunc nec Princeps, nec ipse tenetur, sed ad solam industriam obstringitur. Sin ita spondeat, se se velle obligatum esse, nisi Princeps hoc vel illud faciat. Tunc utique tenetur sponsor, qui nisi se in pristinum statum restituat, obligatio pro non impleta accipitur.

9. Etiam si Princeps ministri taliter spondentis sileat, post peractam sponsonem, tamen obligatio nulla ex silentio probatur, nisi appareat, eum ideo tacuisse, ut rei sponsæ subscriberet, & promissum ministri sui approbaret.

10. Est igitur solorum imperatorum, foederibus se aut rempublicam suam obstringere, nisi imperii legibus sancitum sit aliter.  
Quare

11. Hæc potestas Principi manet, etiam regno ejecto, & possessione ejus destituito, modo jus regni retineat.

12. Nemo privatus audeat aggredi foederis

in illius functionem, utpote quæ belli & pacis negotiis, & publicæ civitatis salutis inservit.

13. Possunt tamen fœdera facere & subditi, contra tyrannum, pro necessaria sui defensione, quam Princeps impotens ipse haud valet amplius suscipere. Quævis necessitas emergit, si remedium aliud haud superfit, si injuria illata sit notoria, si religioni vis intontetur, & ipsi in consortium potentatis summæ veniant, sique certe tacitam sublit mandatum.

14. Licet etiam subditis cum aliis gentibus ligare nexus fœderum, commerciorum causa; quippe quæ neque jura imperantis impugnant, neque per se rempublicam attingunt.

15. Fœderum pactiones a libera imperantium, vel rerum publicarum liberarum dispositione dependent. Hinc

16. Etiam ad infideles a Christianis Principibus possunt extendi fœdera, nisi conscientiaratio, in aliam eos sententiam deflectat.

17. Facti officio ista diversas formas fœderum. Nam alia inde oriuntur æqualia, alia inæqualia. Illa utrinque æqualitatem officiorum seu promissorum inferunt, & utriusque se eodem modo habent; hæc talia officia non inferunt, ut si potentior minus potenti, cum hic vicissim nihil stipulatus sit, aut majori mensura copiam præstet aliquid, aut inferior

terior ad plura se obligat, quam ab altero recipit.

18. Foedera inaequalia per se nec infringunt, nec tollunt potestatem summam, licet altera pars sit peioris conditionis.

19. Possunt tamen istiusmodi foedera istam potestatem imminuere, vel omnino tollere, prout circa ea dispositum fuerit. Unde

20. Inaequalia foedera vel sunt cum, vel sine diminutione imperii. Illud accidit, cum quis pactus est, sese absque consensu alterius nulla imperii jura exerciturum, quo ipso alterum se facit superiorem, & praecipientem sibi. Hoc evenit, cum ita res componitur, ut nihil derogetur Majestati, sed alter tantum in caeteris aliquo modo gravetur, e. g. quod velit sumtus belli restituere, artes munitionis diruere, aut alteri reverentiam exhibere, certis in locis militem lustrare, arcem condere.

21. Foedera quaedam si materiam spectes, cum juris naturalis placitis congruunt, quaedam non congruunt, sed aliquid aliud apponunt. Illa amicitiae tesseram praeseferunt, occasione officii naturalis declaratam, & prolivioris amicitiae testimonium dant; haec novum aliquod officium praestandum intendunt.

22. Interdum, foedera junguntur intuitu  
Y 5 per-

personæ, & propterea personalia appellantur, & cum personâ extinguuntur.

23. Interdum cum regno & republica, non cum regnantibus junguntur, & inde dicuntur realia, neque cum personis regnantium extinctis una extinguuntur. Quod ex circumstantiis aliisve documentis liquet, cum videlicet in aprico est, finem foederum non eo dirigi, ut cum decedente persona simul ipsa intercitant.

24. Ex eadem dispositione prolata emergit quoque hæc, quod jurisdictio etiam in membra constitui possit foedere, e. g., si plures status, vel liberi populi curam foederis uni vel pluribus demandant, aut executionem committunt, ita, ut ille aut plures in re foederis imperium ac potestatem exequendi in reliquos consequentur.

25. Sic eadem gens pluribus foederibus diversarum gentium implicari posse, salva alterius utilitate, & ratio insinuat, & exempla docent.

26. Imperantes cum foedera concipiunt, verbis clavis & perspicuis id fieri debere res ipsa loquitur.

27. Quod si tamen circa verba scrupulus enascatur, sensus & intentio paciscentium interpretanti clavem porrigit.

28. Quos nodos vis ingenii nescit dissolvere, eos acies gladii dirumpit. Sed consultius ingenio hic potius, quam gladio pugnare, & pro-

promissa adimplere, citra verborum tricas, quam armorum vim tentare.

29. Vacante regno, Vicarii Reges autores existunt foederum, nisi lex obstet reipublicæ.

30. Sub foederibus etiam successores continentur, nisi cautum sit, ne ad successores eam transeant, aut nisi ad personam Principis duntaxat dirigantur, eiusque persona non egrediantur.

31. Solvuntur foedera temporis lapsu, neque continuantur, ultra eum terminum, qui statutus fuerat, nisi denuo renovetur, per novam dispositionem, foederis sanctimonia.

32. Non solvantur eadem alterius partis perfidia, seu violato foedere, quamvis hoc fere usu eveniat, sed perstant fideliter; quia ad implendum potius nova obligatio suboritur, ideo quod unius delictum alteri non potest dare impunitatem ad deserendum foedus.

33. Non solvantur morte paciscentium, nisi ita convenerit.

II. Foedera ineuntur utilitatis & securitatis publicæ causa. Unde

1. Imperii moderatores solent in foedera eoire de amicitia conglutinanda, vel de commerciis, ad quæ jam lege naturæ adducebantur, vel de alio officio istac lege non determinato, licito tamen ac honesto.

2. Si princeps, utilitatis communis causa, duobus se addixit in foedus, utrique foederato prestare debet promissum ex regulis pacti.

Siquæ

Siquē a nobis in eo, quod recepit & pollicitus est, simul potest satisfieri, in re ipsa nihil dubitationis inest, sed omnia sunt extra controversiam. Secus, antiquior præfertur recenti, ob justitiam causæ, quam ille habere videatur, de quo judicare non est factore cogligati, sed ob conventionem. Nisi injustitia foederari palam innotuerit, & sole merita no sit clarior.

3. Foedera cum extraneis ista hanc tacitam admittunt exceptionem: nisi propriæ regni rationes repugnent, & nisi nos ipsi nostro auxilio egeamus. Succurrat alteri (vulgarè dictum sapientiæ est) sed ne mihi ipsi (meæ republicæ) desit.

4. Foederis observatio si civitati nostræ foret perniciofa, Principis pactio salutis communi obesse nequit, si jure regni pro totius republicæ salute imperat.

5. Paulo aliter judicandum, si Princeps pleniorē facultatem obtineat, de regno disponendi.

6. Foedera stant inconcussa, etiam si error aut læsio intervenerit, vel etiam metus bellicus, visque Martis ea extorserit.

7. Foederum conjunctio nil deroget neque sanctæ justitiæ, neque salutaris doctrinæ sapientiæ, cœlesti imprimis, & ad salutem animæ pertinenti.

8. Foedera eadem perpetuitatis persuasione hominibus inducunt, ex natura negotii ipsius,

ipſius, niſi aliter ſtatutum reperiatur in pactionis formula. Unde

9. Tempus foederi deſtinatum eſt fluxerit, obligatio ceſſat foederis. Hinc

10. Poſt tempus finitum praſtari, in hanc rem viſa magis benevolentiae, quam renovati foederis indicium praebent.

11. Foedus Chriſtiani, quod cum infideli coaluit adverſus Chriſtianum, jure omnes religioſi horrent animi, praeterquam ubi ille bellum deſenſivum, idque juſtum molitur; neque aliud ſubſidium ſuppetat contra hoſtem Chriſtianum nocentem, ſuae innocentiae tutandae.

12. Cum de virtute ac ſecuritate publica agatur in foederibus, & facile evadant peſſimi inimici, qui antea fuerant amici optimi, foederatusque non ſolum libertati ſuae quodammodo deroget, ſed & vicinis cauſam odii atque invidiae praebet: Quis non videt, quanta cautione & circumſpecta deliberatione, ad foedera amplectenda gradiendum ſit?

## CAPUT V.

DE

# JURE BELLI.

§. I.

**H**ominem, ſenſu communi praeditum animi, & ratione praebitum nobilitatum, inſtinctu naturae & ſine ſuſu ad conſervationem



onem & defensionem sui trahit. Et sensum quidem illum (prima natura,) cum brutis communem habet, ac rationem (consequentia naturæ,) merito sibi propriam vindicat. Hinc

1. Cum incessitur vel ipsius persona, humana forma atque præstantia gaudens, vel res ipsius infestantur, vim vi, jure naturæ insito, potest repellere, cum alter aggressor æque dignitate naturali insignis, & suam & alterius excellentiam reputando, injuriam facere vereri debuisset.

2. Defendere suam vitam, sua jura, adversus hostem etiam justum est.

3. Rectæ rationi repugnat, vim alii innocenti intentare, aut in aliena jura involare temere, & probum hominem improbi injurijs exponi. Ergo

4. Belligerare ob justam causam licet, jure naturæ.

5. Cumque constitutis regnis inter gentes, nemo simul pars, simul judex possit esse, Principibus sane, de re aliqua contendentibus, ad judicium tertii, seu arbitrum erat recurrendum; consuetudine tamen gentium invaluit, pro humano arbitrio armorum vim, quam jus naturæ etiam singulis suppeditat usurpare & interponere; jusque nostrum bello persequi, tanquam judicio sortis, quæ belli alex vicem judicis sustinet, ex ultima victoria, quæ hostis in potestatem victoris redigitur.

6. Sic

6. Sic bella & jure gentium evadunt licita.

7. Est igitur bellum facultas legitima, de re controversa defendenda vel recuperanda, per vim certantium.

I. Bellum est facultas legitima. Hinc

1. Jure non subsistit bellum, si absque causa justifica suscipiatur, h. e. nisi præcesserit alterius nos lædenti injuria, quæ causa justifica deinceps sub ratione justitiam movet, conscientiam tranquillat, & felicem denique spondet eventum. Non enim Deus bellorum præses, qui justissimus, causæ injustæ favere, & spoliatum ulterius per arma injusta spoliare potest. Quamobrem

2. Bellum aliquod est illicitum ex vitio causæ, si pars justa causa bellandi destituatur.

3. Uti pro se; ita pro aliis bellum justitia vacans non potest suscipi.

4. Facestant hinc causæ suasoriz tantum, & a justificis sejunctæ, quales sunt gloriæ studium, divitiarum cupiditas vicinæ potentiz metus, negatum matrimonium in laxa foeminarum copia, munitio vicini, spes melioris sedis, spes libertatis, inventio rerum ab aliis possessorum, prætextus regendi alios, qui se ipsos regere nesciant, imperii universitatis appetentia, desiderium implendi vaticinii, sine mandato divino, violenta petitio ejus, quod non debetur jure, expeditio cruciata ob recuperandam terram sanctam (de qua

qua tamen in utraque parte disputari so-  
let) amor mutua sedis, & similia.

4. Causa bellorum iustitia faustum habetur  
optate victoriae augurium, praesertim si pru-  
dentia accedat & diligentia. Unde

5. Iustitia causa milites ad pugnandum a-  
laciores & fortiores reddit. Ideo

6. Milites & superioris & inferioris ordinis  
sciant belli causas.

7. Actus ex injusto bello enati, illiciti ha-  
bentur iustitia interna.

8. Ferina sunt bella, quae amor cordis &  
sanguinis conflavit.

9. Saepe eventus belli non respondet cau-  
sae belli, nempe per incuriam & oscitantiam  
partis laesae, aut cum res in disceptionem ve-  
niens, adhuc ad forum humanum, non di-  
vinum immediatum pertinet, item quan-  
do Deus poenis castigare gentem in aliam  
delinquentem vult.

10. Nulla ratio, nisi suaviora, innocens  
bella videntur potius latrocinia esse, quam  
hominum certantium conflictus.

11. Speciosas causas praeseferentia, & ex-  
terna forma saltem blandientia bella, contra  
erymantes iustitia iaculantur.

12. Dum causam requirimus iustam ad  
bellum gerendum, non urgemus absolutam  
in belligerante animi puritatem. Unde

13. Etiam iusto bello quandoque vitium  
ex agnoscis animo accedit, si quis malis alienis  
gaur

gaudeat, si eum utilitas aliqua, si avaritia, si ambitio, si terræ amœnitas aut fertilitas, & alia hujuscemodi decipiant.

14. Et vitia hæc effectus belli ordinarios, ut restitutionis négationem, neutiquam inhibent, cum primarium discerni debeat ab interveniente.

15. Peperit hæc belli justitia, progeniem hæc ponitendæ frugis, jus videlicet postliminii, in bello mere defensivo aut notorie justo locum merito reperiens, cujus vigore ad prius quasi limen reditur, statusque prior, post reditam in fines nostros vel nostrorum in bello sociorum, reflorescit. E.

16. In bello notorie injusto idem jus non obtinet.

17. Neque obtinet apud medios bello, seu neutrales, quia isti de justitia belligerantium judicare nequeunt, nec captivitatem eorum improbare.

18. Si dubium sit, justumne bellum præsens geratur, an injustum, præstat lenioribus remediis utrique parti satisfacere, atque ex Grotii sententia, Arat consilium admittere, qui novis quidem possessoribus suasit, ut pecunia accepta, possessionibus cederent; veteribus autem, ut numeratam sibi pecuniam loco ejus, quod suum esset, non respuerent, ita enim & conscientiæ & utilitatis non nulla habebitur ratio.

19. Redeunt autem ex jure postliminii  
Z homi-

homines ante captivitatem liberi, etiam uni-  
 versi populi, sive evaserint violentarum & ho-  
 lose; sive ab hostibus venditi per commercium  
 eorum revertantur.

20. Redeunt personæ suis dominis.

21. Simulque jura priora personarum, etiam dignitates, ac si nunquam ab hostibus, sed tantum belli impetu suspensa fuissent.

22. Etiam illa redeunt bona, quæ ab hostibus habebantur. Nam res publicæ capti non tantum hæc jus bona, & dominium honorum publicis cedis reduci factis ex captivitate.

23. Redeunt & illi (si volent) quæ ad nostros amicos & socios pervenerunt. Illi enim faciunt nobiscum, nostrasque partes non hostium esse, sed nostras judicant. Nisi

24. Qui capti ad gentes alias perierint aut medias pervenerint. Etenim hæc factura & judicium hostium sequantur.

25. Redeunt & res suis dominis, immobilia, quam immobiles, tam sacra, quam profana, etiam loca religiosa, urbes quæque in provincia, etiam si, absente captivo, a possessore alienata fuerant. Nam non aliter poterunt alienari, nisi sub conditione, ut pristino domino restituerentur. Nisi

26. Res captæ in bello justo teneantur ab hostibus, vel ab iisdem fuerint alienatae. Tunc enim ea, quæ moveri non possunt, in possessione deprehenduntur inerte, ob id posthumis; ac quæ moveri possunt, nec debiti

hinc magnitudinem excedunt, in eorum  
prelio ventura, adeoque restitui non des-  
bent, & debita magnitudinem excedant.

27) At in bello iusto id aliter evenit, cum  
ibi etiam, praeter captivos alii possessores ad  
quos se recipere postea pervenerint, teneantur  
ad restituendum, quia extorrum factum domi-  
nium haud usurpandum in tali rerum ac-  
tione, allegare poterunt.

28) Res ad tertium per commercium de-  
ducta domino quidem debet restitui (si reposi-  
tatur) sed soluto prius tanto pretio, quantum  
restitutio recuperatio desperata exigere vi-  
debitur, etiam cum laboris & personae esti-  
matione.

29) Si cessare sitaendi obligatio, si res ad  
gentes alias pacatas fuerint delatae. Illae  
enim tunc a factam esse hostium, & in-  
demonstrari dominum in eam desisse, existi-  
mant.

30) Si tamen res dedine ab hoste post dese-  
ratur, reviviscit jus postliminii.

31) Diversa est ratio captorum & se-  
ransactione incepta dederunt. Capti  
& subito se dederunt iure postliminii gau-  
dono, sicut statuendum de his, qui tan-  
gendo se dederunt. Hi enim contra factam  
proprietatem nihil possunt agere adversus eum,  
cui se ita dederunt. Unde

32) Si transfugerint, qui prius se pacto tradi-  
derant, transgredientes habentur.

33. Captus apud hostem adhuc moratus si moriatur, bona ipsius cedunt ejus consanguineis, his vero deficientibus, fisco.

34. Ubi res ab hoste raptæ intra hostium præsidia nondum sunt redactæ, quoniam sic hostis possessio existit incerta, domini autem dominium certam mutationem nondum subit, postliminii locus erit nullus.

35. Vacat idem jus apud omnes piratas ac prædones, ex dicta causa domini non mutati, quod ejusmodi Harpyis de jure gentium nunquam conceditur. Quocirca

36. Res tali raptu ademptas vindicare quacunq; ratione & quocunq; in loco semper licebit.

37. In populos, qui non sunt hostes, non cadit jus postliminii.

38. Si postliminium ab hoste contemnitur aut rejicitur, jure repressaliorum uti non erit nefas.

39. Potest tamen jus postliminii prorsus expirare, elapso scilicet tempore sufficienti.

40. Ex dictis hætenus cernitur, quod jure postliminii, primum in justitia belli querendum sit; justitia autem belli in facultate naturali sua recuperandi; inde facultas hæc recuperandi in jure concessivo naturali; jus concessivum in libertate naturali; libertas naturalis hominis ipsius dignitatem luculentissime edocet; ut demum omnia hæc in dignitatem hominis naturalem resolvantur.

41. Cau-

41. *Causas belli justificas quoque liquidas esse oportet. Non enim temere in bellum ruat homo, rationis pollens. Hinc*

42. *Conscientia fluctuante, pax astra bello aurum pollicenti praevaleat.*

43. *Si documenta causae iustae bellandi desint, etiamsi autor belli de causa iustitiae, se certum putat esse; quoniam tamen alterum iniustae possessionis convincere non valeat, bellum quasi illicitum, omittendum potius, quam aggrediendum.*

44. *Si jus rei ambiguum, aut si neuter possideat rem, vel uterque aequaliter, utriusque consensu res illa dividatur.*

45. *Qui sui juris non sunt, sed sub imperio vivunt, ut filii familias, subditi, cives singuli sequuntur regulas eorum, qui suo opte arbitrio gerunt bellum, si aut adhibeantur ad deliberandum, aut facultatem militandi, vel non militandi adipiscantur. Sic*

46. *Iniusta belli causa cum est liquida, bello prudenter abstinetur, licet altas pro Principe Marti operam daturus, persuasio pietatis, iustitiae, prudentiaeque militet.*

47. *Miles super belli causa dubitans, si in eo est, ut Principi extraneo bellum moturo ferviat, partem eligit tutiorem, hoc est, belli abstinentiam.*

48. *At suo militans Principi, in dubioque haesitans, mandato superioris obtemperet. Quippe autoritas publica habetur causae belli*



quasi argentum sufficiens, nisi aliunde con-  
stet contrarium.

49. Scriptulo injecto animis civium, qui  
non sicut exellitur, praestat propter ordinem  
tributa exigere a scrupulosis, ad excessum  
conferendum militem, quam operam mili-  
tis a civibus efflagitare; ut et alias Princeps  
subditos suos etiam invitos ad bellum profic  
segere.

50. Mercede conductus miles, ad bellum  
injustum, qui sciens volensque accedit, im-  
probitate ipsa improbius est.

51. Ad bellum legitimum, praeter causam  
justam & liquidam, requiritur & solennitas,  
a summa Majestate ordinata, qua ritus qui-  
dem observantur, ut denunciatio ante bel-  
lum, nisi causa contraria permittentes sub-  
sint. Quippe non bellum, sed homines in  
bellum se parant.

52. Unde enatum bellum solenne, cui mi-  
nus solenne opponitur.

53. Et pluribus quidem sociis, ex eadem  
causa bellum gerentibus, opus est denuncia-  
tione tantum una, contra socios ejusdem  
causa.

54. Contra ex adversis causis bellaturis,  
tot opus est denunciationibus, quot causae  
sunt.

55. At in bello defensivo talis denuntiatio  
non requiritur, quia bellum jam est.

56. Eadem (denuntiatio) nec in bello of-  
fensi-

servo sit necessaria, si notorium sit, quod adversarius restitutionem sit abnegaturus; si is antea sine tali notificatione bello nos lacessierit atque invalerit: si tutus aditus ad eum non facile pateat, ob ferociam ingenii moresque horridos.

57. Eoiam presidio militari saltem iuditione facta, statim belli alea etiam jacta, Maxime saevire potest.

58. Expedate tamen expedat, dum spatium adversario concedatur, ad reparandum ablatum, si velit. Quae reparatio nisi intra illud spatium sequatur, nihil obstat, quin confestim armorum strepitus excitetur, visque bellica incipiat.

59. Quoniam jus belli in civitate nemo obtinet, nisi suprema potestate eminens, sine eius autoritate legitima belli gerendi facultas deesset. Igitur

60. Sola Majestas imperii bellum publicum potest gerere, cui facultatem dedit populus in electione, aut ipse eam justo titulo acquisivit, ut nimirum facultatem populi sartam atque rectam praestet. Hinc

61. Civitatem eadem Majestas, necessitate finis compulsa, in bellum potest conicere, si aliter salus illa civium custodiri nequeat.

62. Hac belligerandi facultate magistratus inferiores destituuntur; nisi aut ex mandato superioris expresso vel praesumpto, aut

ex jure privata defensionis bellum illis licet sumere. Sic igitur

63. Datur bellum illicitum ex defectu personæ, quæ jus belli non habet.

64. Præsenti periculo, magistratus inferior vindicare potest injurias suas, si tempus haud permittat, in tanta festinatione supremum implorare, vel consulere magistratum, idque ille facit ex præsumpta concessione Majestatis, quæ suam salutem tueatur, neque in hostium veniat potestatem.

65. Multo magis ergo id poterit magistratus inferior, si ipsi a superiore belligerandi potestas sit delegata.

66. Datur tamen præter bellum publicum, quod summus Princeps, vel respublica libera movet, etiam privatum, quod privatus suscipit adversus privatum. Et quidem in statu naturali perpetuo, orta læsione, licet arma capere; in statu vero civili non æque, nisi ubi judicis implorandi nulla copia suppetit.

67. Ita constitutis judiciis, bella tamen ideo sublata non sunt, sed horum saltem restricta licentia.

68. At judiciis cessantibus, quod in civitate fit momentanee, cum ipso momento, sine periculo evidente, judex expectari non potest, vel continue, cum subditi non audiunt judicem; vel ipse judex causæ cognitionem aperte rejicit. Extra civitatem id accidit

dit in locis a nullo populo occupatis, seu in solitudine, insulis) cessantibus, inquam, iudiciis, cuique suam repetere vel tueri integrum est.

69. Datur quoque bellum mixtum, quod geritur partim a persona publica, partim a privata, idque inde partim publicum, partim privatum consistet.

70. Majestas publica jure in civibus bellum committitur. jus sequelæ deponit, quo omnes regni cives, qui quidem ad arma gerenda apti sunt, per gratiam sequi suum Principem in bellum & militiam exercere jubentur. Itaque

71. Peregrinum Principem sequi non tenentur.

72. Siquæ vellent peregrinam militiam sectari, idcirco demum eis liget, si a legitimo suo Domino prohibitum non esset.

73. Siquæ revocantur tales milites, promptè & ad autum parere debent, & peregrina arma deponere.

74. Cives non saltim in bellum eant, jussi a justo Principe, sed & vitam profundero non nolint, præsertim cum de justitia belli satis constat.

75. Etiam illi, qui Principi nexu clientelari obligati, militaria officia in se ex pacto receperunt, præsto sint ad bellum citati.

76. Etiam arma, & quæ belli necessitas postulat, parata habeant.

Z 5

77. Ne,

77. Neque ante deserant militiam, quam ipsa vacatio datur militiz.

78. Reliqui etiam ad bellum non itati, currus, equos, pabula, alimentz militibus reuocatis, & cetera iuentilia, & instrumētabilia præbeant, ex iure antiquissimo & per angariatum.

79. Neque pecunia se retinere queunt solites futuri, nisi indulgente Principe, qui suis parcendo, militem iudocinam afficit.

80. Qui militiam detestant aut deserunt, erubesci incurrunt, & poena græui sunt afficiendi.

81. Ex poenisque huc usque traditis abunde dispalescit, 1. Jus sequelz, 2. Jus armorum seu habendi fabricas armorum bellicorum, 3. Jus extruendi fortalicia, arcus, castella, 4. Jus presidii, 5. Jus aperturæ, quo castra & civitates semper patent Principi, cum suis in suo territorio, 6. Jus hospitiationis seu metatorum, 7. Jus introitus, quo Principi obviam veniunt cives etiam armati, portarumque claves offerunt.

II. Bellum suscipitur de re controversa defendenda aut recuperanda. Ergo

1. Injuste ad bellum provolvitur ob rem vel non dubitatam, vel non disputatam, adeoque ob rem certam & exploratam, & in qua altera pars amica compositione alteri satisfacere sit parata.

2. Ubi

2. Ubi controversia aequa nullo consilio  
 belli, nullo modo sepiri potest, tunc demum  
 horridus campus Martis pateat, cujus gla-  
 dii notus inextinguibilis solvendus venit.

3. Talis enim controversia hic supponi-  
 tur, quae belli exitus possit finire aequide-  
 re. Unde

4. Ea non vocatur circa delictum, quod  
 alter commisit; siquidem hoc castigare aut  
 poenis coercere gentis non est; cum nulla  
 gens in aliam quingquam potestatis habeat, sed  
 est superioris in sibi subiectos. Nec in delicto  
 tali ulli in propria ostenditur, nisi belli causam  
 suppeditat. Et inde

5. Non datur proprie bellum poenale.

6. Excipiendi tamen latrones & piratae, &  
 alii totius humani generis hostes. His enim  
 tanta inest barbaries, ut nullo societatis vin-  
 culo contineri videantur.

7. Excipiendi & populi in humanam na-  
 turam injuriosi, & jura communia humani-  
 tatis turbantes. In hos enim Imperatores  
 gladium stringere, dignitatem humanam la-  
 borantem ulcisci, hominibusque succurrere  
 obligantur.

8. Nec ad controversiam, super qua bel-  
 lum incendi queat, pertinet violatio juris  
 naturalis, si ex ea violatione in belligeran-  
 tem & civos suos nulla injuria redundet.  
 Itaque

9. Ob violatum jus naturae, non licet ab  
 extero

extero populo poenam reposcere, ob defectum videlicet superioris, qui male agenti poenas dicitur.

10. Anthropophagi Americani ob solam hanc feritatem bello lacesse non potuerunt.

11. Nec huc referas delicta in Deum commissa, quoniam Deus ipse hanc injuriam, ut vindex justus, ulturus sit, nec puniendi inter homines potestas altunde est, quam a jurisdictione, quae vero hic nulla. Unde

12. Ex hac causa susceptum bellum jure improbatum.

13. Nec hujus loci est religio. Quare

14. Populum fidem Christianam amplecti nolentem cogere nefas. Veritas divina non ab armis, aut vi hostium, sed a doctrina solida sedulaque institutione pendet, nec intellectus hominis leges audit.

15. Multominus belli furor effunditur recte vel in eos, qui Christianam religionem profitentur, vel in eos, qui aliam doctrinam, quam qualis hactenus inter Christianos publice recepta erat, sectantur, vel etiam propagare satagunt.

16. Non tamen improbanda bella, quae pro religione tuenda ac defendenda homines moluntur. Tunc enim non de veritate doctrinae agitur, sed de tutamine illorum, qui eam religionem professi, ab adversariis premuntur.

17. Nec justis armis contra tyrannos instur.

furgitur, nisi vel titulo duntaxat tales sint, nullo legitimo modo, nullo consensu populi ad regni gubernacula tendentes, quales, ut privatos aggressores, quisque civium potest interficere; Vel, ut exercitio tales, recta fundamenta, jura divina & humana, evertant, neque ullis legibus se teneri prætendant.

18. Verbo, in controversiam veniunt injuriz, siue nobis, siue nostræ reipublicæ illatz.

19. Imperans igitur præcipue pro se & civibus suis, repulsurus injuriam hostis, arma comprehendat.

20. Non tamen singulorum civium causa ad arma ruat, nisi id sine omnium aut plurimum incommodo omitti non possit.

21. Quæ causa est, cur innocens quoque civis ad exitium requisitus ab hoste, posset deserere, potissimum si viribus impar sit civitas, neque alia spes expediendæ salutis superest. Præstat perire unum, quam unitatem.

22. Quo rerum articulo, ea mente requisitus & deserendus potest fugere, aut si fugere prohibetur, expectare debet quamcunque fortunam.

23. Immo innocens, nisi periculum imminens alia via declinari possit, in manus hostiles etiam tradetur, salva justitia.

24. Ad rempublicam nostram bello defendendam pertinens & alii, qui rempublicam



cum adingere videntur, ut socii, amici, ho-  
mines nostraeque gentes. *liber*

25. Armata manu defendendum locis, ju-  
stam bellandi causam habentes, nisi morales  
circumstae, hostem superiorum fore, etiam  
copiarum auxiliares ferantur supponant.

26. Amicis auxilio belli haud desegantur,  
dummodo succurrere valeamus sine in-  
iusto modo reipublicae nostrae.

27. Est, ubi etiam homines quosdamque  
afflictos & pressos ab hoste afferere, & po-  
pulus populorum, gens gentem defendere de-  
bemus.

28. Nec injustum, pro populo aliter glo-  
riam fringere eo sensu, quomodo in unam  
superiorum licentiam vi videtur. Ita recte ha-  
moliuntur, si notoria de injuria, & Principe  
Tyrannus. Tunc enim Princeps distin-  
gens gladium, causam superiorum civium, jure  
legitimum sequentium.

29. Contra dicitur Principe facti tyrannici  
injusticia non sita, postquam regulis iusti  
causa non est, bello cum provincis subditis  
agredienti.

30. Si hostis vitam inceptam appetat,  
bello manifeste injusto, jure factum esse  
dant armis.

31. Cum brutis hominibus nulla gens bellandi  
sed si impetus hostilis eis, oppositum, necesse  
rum animalium intervallo intercedit. Sic  
incola Cyrenica prostratis cum locustis

ter

in anno bellare, & Persæ per triduum venari sortitiones iussi, non bellarunt, sed provinciam suggerunt, & occidenda non suavitatis, sed suorum & suam securitatem in patria quaerunt.

2a. Paucis, pro regione & religione, pro persona & re nostra, persona & re nostrarum, e.g. pro defensione vitæ, contra rebelles cives, pro rebus violenter ereptis, aut eripiendis, ob violationes pactorum, ob negatum transitum noxium, arma expediendi iusta causa habetur.

III. Bellum est concertatio per vim, scilicet hostilem. Unde

1. Etiam sanguis humanus tam pretiosus fundi solet, cui tamen ob hominis dignitatem parcendum erat maxime, & propterea

a. Omnia prius experiri, quam armis, sapientem ac iustum decet.

3. Hinc cogitanda belli sevitia, & incertus prætorum exitus, veniatur in colloquium, amicum compositionis causa; si modo dolus atroxius non specie amicitie fallat alterum, sanisve consiliis obstat.

4. Interveniant arbitri (per compromissum) belli, herbas evulsuri, quorum iudicio pars utraque disceptantium acquiescat.

5. Accedatur ad sortem, seu iudicium fortunæ, vel potius providentiæ divinæ, si belli meditatio eo facto possit discedi, ne res in unum designe sumptat.

6. E.

6. Legantur quidam, si ita visum fuerit, & necessitas ferat, inter se pugnaturi de re controversa, eo consilio ut causa justitiæ stet penes victorem.

7. Quo consilio tamen minime approbantur duella, ad privatorum lites comprimendas, privato ausu, & vindictæ cupiditate, adhiberi solita.

8. Nec approbamus certamina illa Cyclopica, honoris vindicandi ergo, ut prætexunt, suscepta a privatis.

9. Proque bello vitando utraque pars, magis tamen petens, quam possidens, conditionem vestiget pacis conservandæ.

10. Etiam si manifesta injuria bello aperiat januam; tamen ipsius belli mala, anceps ejus alea, vel in ipsa victoriâ clades, certe vulnera non una quemvis plium Principem a conatu belli movendi avocet. Quare

11. Nisi summa cogat necessitas, viresque ostendant emolumenti spem, omnè belli studium deponere expedit. Et licet bonum belli plus boni habere videatur, quam belli malum mali: licet major ad bonum, quam ad malum sit efficacia: attamen mensuram hanc rationis humanæ incerti rerum eventus, & multa secus eadentia, quam primum sperabatur, incertam faciunt. Quapropter

12. Etiam cum in aciem jam ventum est, & pugnæ initium instat, ubi controversia placabilitate & mansuetudine componi

po-

potest, deponenda arma, & amica consultatio ad animum revocanda : ut tuto potius in pace, quam anxie in bello vivatur.

13. Inflammari in bellum ob leves causas temerarium, & immitis audaciz est, civibusque ex eo oritur injuria a Principe reparanda.

14. Qui hostilia non inferunt, hostili inmanitate non debent tractari. Unde

15. Infantes, foeminas, senes, clericos, inermes, captivos se dedentes occidere nefas.

16. Item, positis armis, animoque resistendi, a caede hostili immunes recte putantur literati, agricolae, sacris consecrati, poenitentes, mercatores, opifices, artifices.

17. Et haec est causa, quare foeminae, liberi in captivitate mortui, pastores & studiosi a solvendo lytro immunes pronuncientur.

18. Sic porro ab occidione eximuntur facientes commercia, inter pugnantes se medios ferentes, neque alteri parti praeter altera commerciorum communicatione faventes.

19. Qui vero commerciiis intenti adveniunt ea, quibus vires hostium auferantur, quaeque ad praesentis belli robur, praesidia, propugnacula & adjumenta faciant, illi non abs re inter hostes numerantur.

20. Vis hostilis instrumenta belli non solum inanimata, ut tormenta, gladios, pecuniam, victum necessarium, sed & animata desiderat,

A a

rat,

rat, quæ ex lege præcipue sunt subditi, quorum voluntas a voluntate superioris dependet; siquidem per ætatem & valetudinem apti ad arma gestanda deprehenduntur.

21. Arma ad summos dolores hosti, præter mortem infligendos parata non debent adhiberi, nisi contra contumacissimum hostem, quem aliter debellare non valeamus.

22. Arma veneno illita merito refugiant meliores gentes, ut quæ caste defensionem, non barbaram vastationem spectant.

23. Unde recte Florus contra fas Deum moresque majorum medicaminibus impuris sacrosancta Romana violata fuisse iudicat.

24. Qui autem injuste læsus aliud remedium hostes prosternendi sibi præclusum cernit, isti quoque horrido veneni subsidio adversus hostem horridum, & qui atrocissima post victoriam, & a jure victoriæ & a jure belli longe abhorrentia immissurus sit, necessitate compulsus, si vehit, uti poterit.

25. Ut arma, sic fontes veneno inficere prohibetur.

26. At aquas potabiles, absque veneni tæbe, ad potandum inutiles reddere non prohibetur.

27. Nefarium, percussores, assassinos, incantationes, artes magicas, scorta lue venerea laborantia, peste infectos, pro instrumentis belli venditare, & iisdem hosti exitium inferre velle.

28. Et

28. Etiam bestias, ut elephantes, & camelos in bellum adducere nihil prohibet, si ex eis pugnetur, & que ut ex equis & ex curribus solet.

29. E contrario belluis & aliis animantibus venenosis & immanibus uti adversus hostem, eaque in lanienam hostis admovere turpe & detestandum & a belli justa indole alienum foret.

30. Inter homines belli instrumenta habentur, in casu quidem necessitatis, omnes cives ad arma gestanda apti, extra casum necessitatis illi, quibus nullum vinculum civile obstat, idque jus sequelæ exigit. Unde

31. Ingruente necessitate, ne is quidem a militia excipitur, qui captivus hosti promissit, quod contra ipsum imposterum arma ferre nollet.

32. Ordinarie munere militari non debent fungi Clerici & personæ Ecclesiasticæ. Hi enim bello intersunt, si assunt, tantum sacrorum causa.

33. His adjungunt Christiani Judæos, militari forte indignos habitos apud ipsos.

34. Littores & carnifices, leges civiles esse a phalangibus pugnantium volunt. Quod discrimen vero lex naturæ, necessitatem debellandi hostis, reportandæque victoriæ spem sibi præfigens, penitus ignorat.

35. Sic ad jus sequelæ ordinarie non obligantur Doctores, Magistri, minores armis,

enes admodum, foeminae, surdi, muti, & qui agris colendis sunt summe necessarii.

36. Si actum bellandi consideremus, tantum licet in bello justo adversus hostem, ut omnis vis habeatur justa, sine qua jus nostrum obtinere non possumus. Hinc

37. Effectus instrumentorum bellicorum potest esse etiam occisio hostis, quae honeste fit, & cui virtutis ratio inest.

38. Haec tamen occidendi facultas non aliter est permessa, quam, si alias victoriam nostrumque jus obtinere non possumus, nec oritur ex capitali supplicio, sed ex defensione juris naturalis.

39. Sed & vastatio est belli soboles non infrequens. Sic igitur

40. Res hostis licet vastare, quae nobis jus nostrum tuentibus obstant, & si aliud adminiculum defensionis nullum adsit, sique per illud vires hostium atterantur & enerventur nostrae contra roborentur, atque invalescant. Patet ex hoc

41. Res sacras ad effectum belli nihil facientes, non vastandas esse.

42. Nec res luxum promoventes perdi oportere, quippe quibus hostis frangi potest.

43. Nec res frugiferas illas, quae hostibus fructuosae non sunt, nec esse possunt.

44. Postremo res omnes ad bellum nihil momenti afferentes, ut statuae sunt & simulachra, violentiae hostili non sint obnoxiae.

45. Ince-

45. Interim vis belli non reficit & illa, quæ sine vidum fiunt, effectus tamen violentos producant, & a consilio proficiuntur. Unde

46. Dolo & mendacio in hostem uti nusquam prohibetur, quia id absque injuria fit in hostem; Quod de sermone assertorio intelligas eo, qui soli hosti publico in calamitatem vergere intenditur. Cave igitur

47. In promissis dolos & mendacia admisceas, aut in sanctimonia jurisjurandi. Bre- nium uti in bello nihil sanctius est fide: sic in eodem violatione fidei nihil existit magis abominabile. Hinc

48. Fides homini hosti data ab homine nunquam est fallenda. Adæque

49. Tempus induciarum, sive horarum, sive dierum, sive mensium, sive annorum vel centum, cum ipsis induciis sancte inviolateque observatur, præcipue cum induciis ad pacem promovendam conducant, & dum belli furores suspendunt fere, umbras quasdam, & præsidia pacis futuræ exhibere videntur. Hinc

50. Statim a contractu & conventionibus contrahentes partes, & cives statim a notitia induciarum sibi facta ad easdem recognoscendas atque recedendas obligantur.

51. Durantibus induciis, (quæ revera nihil belli procrastinatio sunt) non solum cessant arma, verum & nefas est, præsidia hostium corrumpere, invadendi gratia.



52. Neque tunc milites & cives deficientes licet recipere.

53. Turbatis ab altera parte induciis aut laeso satisfaciatur, aut novi belli causa suggeritur.

54. Si satisfiat, nova belli consilia, nequequam caperentur.

55. Nec ducibus hostium, nec civibus rebellibus induciarum adjudicatur securitas.

56. Etiam si vero induciæ tantum aliquos, non omnes actus belli (unde induciarum universalium & particularium distinctio) suspendat; tamen & hoc, quicquid est feriarum ab armis, integra fide servandum; si vel præter militum tumulos curandos, nihil foret concessum.

57. Haud ingratis ferat uterque exercitus hostilitatis omissionem, nulla expressa conventionione obvenientem, quod genus quietis nonnulli inducias tacitas nominant. At potius ultro veniens & tanquam casu armorum audiat cessatio.

58. Exacto induciarum determinato spatio, inardescit denuo, tanquam cineribus sopitum bellum inque flammam erumpit priores, absque omni indictione belli. Nisi

59. Vel pax intervenerit.

60. Vel iterata induciarum petitio & petitio.

61. Vel aliud disposuerint conventiones.

62. Vel induciæ initæ fuerint prolixiores; quo ipso indictionem esse necessariam ratio homini insinuat.

63. Fa-

63. Facta interim privatorum induciis factis contraria, nisi ab imperante rata habeantur, non labefactant, nec tollunt inducias.

64. Uti in induciis; sic in salvo conductu, qui est privilegium quoddam extra inducias & actum alias in pace exerceri solitum, omniaque ad commeatum pertinentia complectitur, fides servanda. Hinc

65. Commeatus patris etiam uxori prodest, & filio, si fuerit concessus non peregrinandi, sed habitandi gratia. Id enim commeatus notio secum fert. Et inde

66. Bona quoque, liberi itineris indultu, comprehensa intelliguntur, quæ quidem usitata esse consueverunt, iter facientibus.

67. Imo omnis facultas ad commeandum concessa intelligitur.

68. Si tamen circa comites itineris, nomen gentilitium declaretur, alii extra eam gentem excluduntur.

69. Concesso commeatu ad urbem aliquam nominatam; hac vero capta, antequam is, cui præbitus commeatus, eo pervenerat, retineri ea in urbe potest. Quippe non ex loco, sed ex itinere indulgebatur securitas.

70. Et stratagemate hosti imponere potius laudi fuit quam infamiz.

71. Et quia in bello per vim decertatur, Facultas occidendi hominis, & vastationis

ocum impetit in bello defensivo, que et of-  
fensivo (quamquam omnis bellum iustum  
non est, nisi defensivum, et alius perperam,  
quoniam offendimus belligerantes, ut defen-  
damus.) Illud propulset injuriam corporibus,  
aut rebus nostris intentatum atque immi-  
nentem, & jus impetiturum servat; hoc jus  
nobis ereptum repetit, ut nostrum, vel quod  
nobis debetur, reparetur, vel delictum in nos  
commissum vindicetur.

72. Durat armorum jus in hostem, eo us-  
que dum hostis vel ab armis recedit, vel capi-  
tur & vincitur.

73. Bellum per se non nisi ad hostem, qui  
scilicet injuriam facit nobis, non vero ad ami-  
cum, aut nobis de injuria illata nihil notum  
dirigitur.

74. Interim usu evenit, etiam amicos ali-  
quando bellico impetu invadi, nimirum cum  
amicus cum nostro hoste venit in commer-  
cium earum rerum, quarum vel tantum in  
bello, ut armorum; vel in bello & extra bel-  
lum usus est, ut salis, ferri, frumenti, pecu-  
nie, quibus subvenitur hostis inopia, vel in-  
firmitati, etiam transitu concessio, cum nobis  
denegaretur.

75. Sic in personas eorum, qui hostes non  
sunt, in territorio deprehensas hostium, a  
nobis bellantibus in illos hostes jura belli ex-  
erceri possunt, quippe ad nos premendos  
hostili manu cogi possunt, qui sub potestate  
vivunt hostis.

76. Et

76. Ea qui studiosa se ferre dicitur nos & hostes nostros detrectant, vendentes hosti aliquid, quod nobis vendere nolunt, aut vitiosi illis pretia eandem rem vendentes, quam nobis, mutant personas meliorum, & ut hostes a nobis tractandi, variant.

77. Idem iudicium est de navibus & rebus in eis deprehensis, si non commercii, sed hostis servandae causa delatae fuerunt.

78. Perinde & alia amicorum, ut pignora, agri, urbes, arces, quas hostis sit occupaturus, ut nobis noceat, in nostram potestatem perveniunt, si eadem militibus occupemus, cessante tamen bello, suis dominis restituenda.

79. Si hosti in locum mediorum, quem durante bello, occupare volebat, nos autem eundem ante capimus, nullum jus est, nostrum est, finito bello, praecipuum suo Domino restituere, cum refusa impensis. Nam id juris praecipuum acquiritur, quod hostis habiturus fuisset, nisi praeventus esset.

80. Etiam cives nostri hosti nostro militantes, induunt rationem hostilitatis.

81. Ex vi hostium legitima haecenus declarata, ulro acquiritur bellici consequuntur. Unde

82. Praeda omnis iuste ex hostibus capitur ab his, qui iustam bellandi causam habeant, bellum quatenus gerunt legitimam.

A a 5

83. Adeo

83. Adeo & ab hostium subditis innocenti-  
bus præda comparatur.

84. Imo non tantum hosti propria quæ  
sunt, verum etiam in quibus iste usum fru-  
ctuum, pignus & jus habet, etiam arces, &  
propugnacula in solo pacato occupari possunt,  
quæ ultima tamen, finito bello, restituenda.

85. Et quidem ordinarius belli acq̃uisitus  
putatur res capta, tum quæ moveri, quam  
quæ non moveri potest, si nimirum illa intra  
præsidia prædantis deportata, hæc vero præ-  
sidiis ejusdem firmata, in possessione quasi tu-  
ta putatur.

86. Inter captas res sacræ quoque refe-  
runtur, quæ Deo, vel apud gentiles Diis dica-  
tæ sunt, & captæ sacræ esse definere cense-  
ntur.

87. Si etiam rem sacræ aut usui sacro de-  
stinatam agnoscere, & porro adhibere hostis  
capiens nolit, utitur, vi Majestatis, jure suo.

88. Abstinentium tamen, si sibi persuadeat,  
in simulachro esse aliquod Numen, quod vi-  
olare nefas foret, idque eo religiosius inter  
eos, qui verum Deum eadem colunt lege, et  
iam si sententiis, aut ritibus quibusdam inter  
se diffident.

89. Res ab hoste captæ, sed in fuga a no-  
stris recuperatæ, non sunt capientis, sed Do-  
minis suis merito restituntur, quibus ab ho-  
ste erant ereptæ, licet æquum videatur, pro  
labo-

labore & periculo recuperantibus aliquid præmii quasi loco deferre.

90. Res aliorum non hostium nostrorum, sed quæ tamen apud nostros hostes sunt, jure belli non acquiruntur. Unde

91. In navibus hostium reperta, quamvis alias res hostiles esse judicentur, at tamen si validis rationibus aliud probetur, evanescit illa præsumptio.

92. Res ab hoste nostro aliis ereptæ sunt nostræ, neque a Dominis prioribus, qui eas ante hostes nostros possidebant, recte vindicantur. Æquius tamen & religiosius hæc suis Dominis restituntur.

93. Tempore induciarum capta, prædis annumerari injustum est, siquidem per inducias ad certum tempus ab artibus bellicis adversus hostem jure abstinetur. Ex quo

94. Et violentia in personas æque ac res ut illicita damnatur, quæ quidem induciarum jam factarum, jamque publicatarum tempore exerceatur.

95. Quod autem bello capitur, cedit Principi belligeranti, qui auspiciam tulit bello, milites contra nil sunt, nisi tantum instrumenta, & quodcumque acquirunt, suo Principi acquirunt.

96. Gloriosus tamen est, aliquid prædæ largiendo, labores militares, & pericula bellica solari, & militantibus imposterum signum bene sperandi tollere.

97. Urbs

97. Uberscripta jure gentium usurpanda debet, sed in eam agitur jure imperii.

98. Refractorii jam hostes devicti, poena afficiantur.

99. Si bellum geratur opera faciorum, solique suo nomine injuriam propriam persequantur, cum de sua re agunt, sibi; cum de re alterius, hujusque causam sequantur, acquirunt naturaliter illi, cuius iudicium sequuntur.

100. At causa communis, acquiescunt etiam facit communem.

## CAPUT VI.

DE

# JURE VICTORIÆ.

§. I.

**J**us victoriæ est potestas victoris, acquisita in hostem penitus prostratum.

I. Est potestas acquisita in hostem. E.

1. Victor jure imperii agit in devictum.

2. In hunc jure exercet potestatem imperii.

3. In devictum non jam ut hostis, sed ut iudex agit.

4. Exspirat jus belli, acquisito jure victoriæ.

5. Similique omnes caedes, incendia, rapinae, & alia hujus generis, sine quibus jus nostrum defendere in bello, vel recuperare haud poteramus, exspirant.

6. Vi.

6. Victor adeptus victoriam, sibi acquirit omnia jura publica, & quæ sunt juris publici.

7. Res singulorum, quas in castris offendit victor, prædærum instar, in victoris quoque potestatem, ut pugnantibus adhuc creptæ, perveniunt.

8. Hæc victoris jus regulariter in eos non extenditur, in quos non extenditur jus belli; quales sunt infantes, foeminae, alique.

9. Cum ex hoste paritur victoria, apparet non tantum imperium, nec tantum res in castris post victoriam repertas, sed & jus compensationem urgendi impensarum belli (si hæc nondum plene compensata fuerint) præterea potestatem, ex jure imperii victorum delicta puniendi, & jus talionis, acquiri.

10. Pro vario populi devicti statu victor sibi acquirit vel imperium civile, cum aut in imperantis jus succedit, aut populi jura sortitur absoluto imperio, vel imperium herile, quando status civitatis plane tollitur, aut victi imperio victoris adjiciuntur, & ut Romani olim loquebantur, in formulam provinciarum rediguntur, vel imperium ex utroque, civili atque herili, mixtura, nempe cum servitus & alia libertas personalis permiscetur.

11. Hostis resque hostium, quæ in manus venire victoris in victoris jus concedunt.

12. In compensatione non omnia ad amissionem revocari debent, sed sufficit rei nostræ qualiscunque recuperatio.

13. Est



13. Est & securitati hic in vigilandum ejusque cautioni, quoad ejus fieri potest, non nihil intendendum.

14. Condiciones præscribit victor, pro suo arbitrio, in quo tamen prudens moderatio palmam primam reportat.

15. Supplicium suis delictis meritas, ut rebelles aut perfidos, & præfactarios contra imperantem, ex jure imperii licet occidere, post impetratam victoriam.

II. Potestas victoriæ acquiritur in hostem penitus prostratum. Igitur

1. Si hostis adhuc controversit, si resistit vel resistendi animo nova arma circumspicit post cladem, si fugiat vires colligendi animo, non penitus prostratus habetur.

2. At si victus ita sit in potestate victoris, ut non valeat resistere amplius, ut se dedat vincenti, ut cum victore pacisci velit clade compulsus: tunc demum prostratus habetur. Unde

3. Non satis est, hostem admodum debilitatum aut sic fustum in prælio, ut vix potis sit vires quassatas colligere; sed, ita sit victus, ut ei ad deditionem confugiendum sit.

4. Nec sufficit, spolia hostis profligati legere, ad sepeliendum corpora concedi, in loco pugnae pernoctare.

5. Hostem autem vere dejectum & non resistentem occidere non licet, cum Victor non amplius noceat.

6. Sic

6. Sic captæ urbis cives non licet occidere, nisi, ut modo demonstratum est, sup maloficio supplicium promeritos.

7. Hostis cum conditione se dediturus, non putatur penitus prostratus: nam ista conditio aliquid hostilis machinationis portendere videtur.

8. At pure offerentes deditionem nihil hostile conari velle videbuntur.

9. Ut in vitam hostis nihil potestatis post victoriam superest victori; sic nec in ejus bona, quæ jam a victore, tanquam novo Principe, defendi debent; tantum abest, ut possint vastari vel destri.

10. Multo minus ultra prædam etiam spoliare victos aut urbes captas, ob eundem prædæ potiundæ finem, fas est. Nisi aliud malum, e. g. defectio, vel jus talionis interveniant.

11. Et iis potissimum, qui extra culpam belli esse deprehenduntur; parcere æquum est, neque eis sua adimere, quibus victor facile, ipsi vero ægre carere possunt; præsertim cum alias viventi possit satisfieri.

12. Quæ de clementia victoris a quibusdam edifferuntur ad hunc locum, ea non semper juris, sed sæpe virtutis sunt, quando victor de suo jure remittens induit mitem patrem, & miserando egregiæ generosæque clementiæ exemplum ostendit, qui alioqui suo jure usus nemini foret et injuriam.

13. Vi-

1. Victorum quorundam crudelitas allegari in quaestione juris minimè debet.

CAPUT VII.  
DE  
IURE PACIS.

§. 1.

**N**unquam magis hominis, ad pacem nati, pacisque cupida a natura, dignatio invalescit: nunquam clarius (cum in bello nulla salus) exsplendescit, quam pacis temporibus, quibus cum aliis dotes naturæ humanæ, tum veti imprimis libertas naturalis viget & efflorescit.

2. Quapropter uti pacis tempore bellum, ob metuendas hostium invasiones, meditari oportet: sic tempore belli pacis reducendæ cogitatio ac deliberatio omne punctum ferat.

3. Hic discernendus est status pacis, ad quem transigendo homines hactenus dissidentes denuo advehuntur, ad ipsa confessione pacis, seu pacificatione, h. e. illo negotio, quod ad pacem recuperandam suscipitur ab eis, qui pacis arbitrium in sua potestate habent.

4. His præmissis, jus pacis describi potest, quod sit facultas summæ potestatis, de causa controversa transigendi, ob tranquillitatem publicam, cæteropunque bonorum, quæ a pace dependent, servandam institutionem.

I. Jus

**L. Jus pacis est facultas summæ potestatis. E.**

1. Qui bellum, iudem & pacem possunt ini-

re.  
2. Etiam captivus Rex regnum regni que administrationem, quantumvis custodia detentus, retinet, pacisque condendæ potestatem. Nisi

3. Vel pax injuste sancita sit notoria: Nam hoc populos non voluisse præsumitur.

4. Vel pars regni pro libertate recuperanda fuerit promissa. At, in hoc populus non consensisse præsumitur.

5. Multo igitur magis, si de regno per pacem transferendo agitur, populi consensus concurrat cum principe. Unde

6. Et successores regni obligantur firmiter, neque alienationem rite factam fuisse, possunt obtendere; siquidem etiam populus aut circa regni partem, aut circa regnum totum assenserit.

7. Vel nisi Rex administratione regni exciderit; quo casu etiam jure excidit componendæ pacis.

8. Quemadmodum est utriusque partis disceptantium, priusquam belli flamma oriatur, Marti pacem præponere, in talique causa petentis, quam possidentis deterior existit conditio: sic utraque pars debet, accenso bello, animum ad pacem, multoque studiosius imbellicior id faciat, quam robustior.

Bb

.9 la

9. In Monarchia & statu vere regio Rex, nullis impedimentis obstantibus, pro pacem danda stabiliendaque laborat.

10. In Aristocratia idem jus est penes partem majorem Procerum.

11. In Democratia autem idem jus populum manet.

12. In forma regimis mixta lex fundamentalis autorem pacis determinabit.

13. Apparet ex dictis, quod Ducibus belli facultas hæc faciendæ pacis non competat, licet illi summa autoritate belligerandi instructi sint. Nisi

14. Id ipsum, ut possint cum hostibus transigere, a Majestate regia, cujus exercitibus præsumt, illis mandatum fuerit.

15. Quod si potestates minores pacifuntur in bello, id faciunt nixi partim private defensionis jure, partim jure mandati & quidem eo casu omnia illis concessa intelliguntur, sine quibus finem suum obtinere nequeunt.

16. Mediatores si qui in eandem rem asciscuntur, illi pacem conciliare inter se volentibus præscribere non possunt; multo minus eos ad aliquam sententiam cogere. Nisi

17. Partes ipsæ illis hanc potestatem concesserint.

18. Possunt tamen ea omnia tentare leniter, sine quibus concordia revocari nequit; quo in negotio maximum pondus habent

See.

functiones ad rationis dictamina attemperant.

II. Jus pacis versatur circa causam controversam. E.

1. Ubi nulla controversia, ibi nulla opus est pacis conciliatione. Id quod de toto genere humano naturaliter præsumitur, nimirum quod omnis homo natura ad pacem inclinet, & in pace vivere velit, atque vivat; quæ pax proinde naturalis & universalis recte appellatur.

2. Rupto igitur pacis vinculo, pax denuo reducenda ac recuperanda, tanquam belli medela, hoc est, controversia belli nutrita tollenda est non minus inter homines privatos, quam publicos. Utrinque enim dissidia conciliando sopiri sanariq; hominis dignitas, ex pacis amore hic potissimum relucens, postulat.

3. Ex natura pacis ipsius & controversiæ decisione per se probari non potest, contineri transactionem de damnis bello datis, quam Græci olim amnestiam vocabant.

4. Potest tamen ejusmodi transactio pacis sanctioni simul innecti, imo innecti eandem expedit, pace non simpliciter, sed cum adhaerentibus partibus spectata.

5. Quæ antea venerunt in controversiam, pacemque ruperunt, ea pacis revocatio quasi in capita solet dispescere, sigillatimque in majorem firmitatem rei percensere ac dijudicare

care tandemque singulis sanandis ultimum  
manum imponere.

6. Etiam sociorum controversiæ eadem  
occasione & opera sæpe disquiruntur, & de  
iis suppari consilio atque studio statuitur.

7. Neque nimis pro particularibus quo-  
rundam civium negotiis cura interponitur  
Interdum, si operæ pretium visum, deque iis  
ab utraque parte decernitur.

III. Pacis jurisque pacis finis & effectus est  
tranquillitas publica, & cæterorum bono-  
rum, quæ a pace dependent, securâ fruitio.  
Hinc

1. Arma quiescunt omnino, conglutina-  
ta pax.

2. Quæ post pacem factam, adhuc com-  
ponenda restant, confestim componantur.

3. Siquæ ea in tempus aliquod differenda  
videantur, ob suam difficultatem, causasve  
alias; absque læsione pacis tamen differre  
oportet, quæ alio tempore transigenda.

4. Pacis arbitros constitui oppido consul-  
tum visum semper est sapientibus. Illi enim  
vel ut Principes pacati se interponunt; vel  
ut amici partium assunt negotiis; vel alte-  
rius saltem partis amicus utrinque advocatur  
in consilium, in subsidium, in rerum dubia-  
rum aut controversarum depulsionem.

5. Sorti committere pacis causam, aut  
iudicio, consensu vel autoritate Principis  
suscepto, non illicitum quidem est, nec inho-  
nestum.

nestum; sed prudentibus se non ubique approbat, cum unus vel pauciores certaturi causam celerius queant perdere, quam numerosus exercitus.

6. Si tamen necessitas cogat bellum mittere in compendium, & hac via ad pacem accelerandam festinare: Tunc sane necessitas legem talis prudentiæ non audit, durum telum obiciens consultantibus; dummodo non ipse Princeps certamini singulari semet subiciat. Et id quidem respublica inde capit solatii, quod istæc moderamine fortis vel certaminis singularis, minus fundatur humani sanguinis, cujus pretium hominis ipsius ostendit excellentia.

7. Quæ, armis depositis, debent restitui, ea restituantur, pace conflata. Unde

8. Pace etiam iam composita, obtinet nihilominus & quasi foenus quoque superadditur paci, jus postliminii. Ideoque

9. Illi quoque, qui belli exardescens tempore in loco hostiliprehenduntur, etiam si, ut innocentes, manente bello, retinentur, & quidem ad diminuendos hostium vires, cessante tamen bello, jure postliminii redeunt in sua.

10. Sique personæ, vel res captæ nondum armis recuperatæ sint, inque sociorum venerint manus donando, vendendove, ex eodem jure reposcuntur recte, atque, ut alienum, debent restitui.



11. Damna quoque & injuriæ bello dataz, ex eadem causa, cæteris paribus, debent pensari.

12. Et quoniam induciarum tempore quiescunt violationes bellicæ & cæteræ injuriæ belli; inde fit, ut tempore induciarum post. Rmínio nullus plane locus sit relictus.

13. Propter pacem innumeris trium. his potioreni accersi consuevere firmamenta ejus & vincula, quibus securitas in pace vi. ventium fiat solidior. Hinc

14. Adhibentur non raro guarantiæ sic dictæ, modo generales, in omnes personas & res, de quibus pacificatio agitur se exten. dentes, modo speciales, ad certas tantum personas vel res restrictæ.

15. Facientes pacem de pace sancte reli. gioseque servanda possunt reprimere. Quo nomine

16. Aliquando accedit jusjurandum.

17. Imo tanta accedit autoritas, uti hac promissione conservandæ pacis seu guaran. tia lex imperii perpetua & sanctio pragma. tica ejusdem, quæ legis fundamentalis virtu. tem habeat, constituatur.

18. Aliquando in re valde ardua, puta in Principatu, in bonis Principis, in terris aliis fundatur guarantia; quod ex ipsius guarantiæ formula intelligitur.

19. Ubi manifestum est, re fundatam ta. lem

lem guarantiam antiquiorem recentiori an-  
testare.

20. Allquando interventu personarum fit guarantia seu pacis firmata securitas, cum istæ se obstringunt in casum pacis violata, idque peragunt aut sua sponte, dicunturque guaranti, pro publica sese interponentes securitate, tanquam fidejussores, spondendo pacis securitatem contra violatores; vel cavendo, ut partes ipsæ pacis securitatem repromittant adversus eius violatores, vel aliena autoritate atque imperio; quales vulgò obsides nominamus. Hinc

21. Tales mediatores ad plura non obligantur, quam quæ sponderunt.

22. Idque curent in universum, ne, quod via leniori poterat, armis decidatur.

23. Atque ut pro conservatione pacis initæ lapidem omnem moveant, cum semel huic negotio saluberrimo manum admoverint adjutricem.

24. Obsides (quorum non modo in componenda pace, sed etiam in conventionibus bellicis usus est) ad fidem publicam servandam, a Principe, aut ab iis, quibus Princeps hanc facultatem concessit, e. g. ducibus belli, solent dari.

25. Omnis autem sexus, ætatis, status, conditionis homines, etiam Regum ipsorum filii filiarumve, imo quicumque demum sint in subditorum numero, dantur obsides. Etenim nihil

fert pacis, nihil dantis, nihil accipiendis obfidem, qualiscunque, demum detur, modo ne sanctio sacra pacis dulcissimæ eo pacto inhibeatur.

26. Obsides si nolint se dare, cogi possunt reipublicæ causa. Inde

27. Nata est inter obsides distinctio, quod quidam se sponte sua offerant in hoc ministerium; quidam contra inviti ad idem compellantur. Ideoque

28. Illi non fugere; hic autem fugere censentur, & pro captivis æstimantur.

29. Et quoniam pignoratitiam quandam in se receperunt obligationem obsides, obligantur quidem, sed salva libertate sua, salvo etiam civitatis jure.

30. Fidem frangentes obsides occidit posse, durum est statuere.

31. Maneant autem obsides dati, non au fugiant, & maneant, dum voluntati summi imperantis satisfiat, cujus autoritate fuerunt dati.

32. Obligatio obsidis, ut transitoria, apud successores vim suam exerit.

33. Obsidem dans prius fidem præstet debitam, quam obsidem repetat, & damna inde enata obsidi aut ejus proximis penset.

34. Obsidem accipiens, eum tractet liberaliter, ut hominem liberum, nec in causam aliam retineat, quam dictum est. Nisi

35. Quod

35. Quod ex jure alio, nempe ex pacto imperantium ut cives possint retineri.

36. Si contingat obsidem, durante adhuc obligatione sua, mori; par est a republica dari alium, eumque non præcise demortui hæredem, sed quemcunque huic officio idoneum visum.

37. Rege illo, qui obsidem dederat, defuncto, obsidis præsentis vinculum propterea non tollitur. Nam hæc obligatio ipsam stringit rempublicam, quæ debuit dare obsidem, sive superstiti adhuc Rege, sive jam mortuo.

38. Mortuo eo, pro quo obses dabatur, liberatur obses. Nam extincto eo, obligatio accessoria quoque extinguitur.

39. Quæ obsidis, eadem pignoris est ratio, quod pro pace corroborandâ traditur. (quanquam etiam in conventionibus bellis pignora adhibere amant.) Igitur

40. Utrumque retinetur ex alieno debito, propter causam publicam, maxime ob quietem publicam; Nisi quod pactio de pignoribus non tam arcta, ut illa de obsidibus, existimatur.

## CAPUT. VIII.

DE  
SEPULTURA.

## §. I.

**S**epultura est officium hominis defuncti corpori tumulando debitum.

I. Sepultura fit homini. Ergo

1. Opera pecudum extinctarum huc minime pertinent.

2. Contumulationes pecudum non sunt in officio.

3. Solemnitates pro pecudibus sepeliendis adhibita, a quibusdam insanæ, absurdæ, impiæ fuerunt.

4. Homini tumulando sepelitus non deneganda, cujus non tam personæ, quam humanitati, h. e. naturæ humanæ dignitate insigni opprobrio præ brutis conspicua, ista religio debetur. Etiam hominum superstitionum causa curanda tumulatio exuviarum, honoris gratiæ præstanda.

5. Jus sepulchri consistit in eo, ut liceat inferre, quos inferri jus est. Inde

6. Datur actio in eum, qui prohibet.

7. Hoc jus rei essentialis, non potest tolli pacto, in quo pactum saltem versatur, sed stipulatione potest, qua id caveatur, ne locus monumenti suo usui essentiali pateat.

8. Si pacta fuerint in bello induciæ propter homi-

homines cæcos, vel alias demortuos sepe-  
liendos, pactum manet firmum, neque quic-  
quam in eo mutandum erit.

II. Officium hoc sepulturæ homini de-  
functo præstari oportet. Itaque

1. Inimane ac barbarum; viros innocentes  
in terram defodere.

2. Laudandi ritus; expirantium homi-  
num cadavera ad dies aliquot retinentium a-  
pud se, si forte spiritus & anima remeare in-  
cipiat.

3. In poenam demitti viventes subter ter-  
ram, ibique periri; gentibus usuratum; nec  
improbandum omnino fuit, ex atrocitate de-  
lictorum.

4. Nec bellum aut ratio hostilis homines  
occisos honore sepulturæ privat.

5. Hosti induciæ concedendæ, & ab hoste  
rogandæ, cum interemptus miles terra regi  
debet.

6. Crudele & injustum foret, tales ferias  
vel non rogare, ad insepultos contemnen-  
dos, vel rogatos denegare.

7. Non caret vitio Lacædemoniorum, qui-  
bus victoriam tradere hosti, erat inferias cæ-  
sorum militum indicere.

8. Quanquam ipsa sepulchra hosti non sunt  
religiosa, & inde ille e. g. lapides in quemlibet  
usum convertit; tamen defunctorum cor-  
pora neutiquam violari aut male tractari de-  
bent,

beat, more turbonum pie defunctos quiescere non sinentium.

9. Facinorosorum quoque sepulchra curanda sunt pro ratione criminum.

10. Qui desperabundi sibi ipsis manus violentas intulere, hac humanitatis charitate careant, cum vitam humanam, tanti aestimatum Deo, scelerate profligaverint. Et ut vivi metuant, & a simili peccato retrahantur.

III. Sepultura fit corporis defuncti tumulandi gratia. Ergo

1. Redit corpus, unde ortum erat, & ut Cicero loquitur: Redditur terræ corpus, & quasi operimento matris obducitur.

2. Sic, teste Lactantio, figura & figmentum Dei, homo, feris & volucris in prædam non jaceat.

3. Terræ demandandi mortuos ritus, ut antiquissimus, sic naturæ convenientissimus.

4. Nec tamen juri naturæ repugnat, defunctorum corpora inuncta asservari, aut in usum medicum, aut in alios vitæ civili non inutiles.

5. In hominibus, auctore jam citato Lactantio, etiam ignotis, impleamus munus necessarium, in quorum locum, quia desunt, succedat humanitas.

IV. Est vero hoc officium debitum. Unde

1. Et jus & virtus, pro diversa considerandi

di ratione, adhuc nos ligat ac vincit, ne nostram imaginem sinamus inhonori post factum ultimum.

2. Impingunt non leviter hujus justitiæ atque virtutis osiores.

3. Videtur tamen hoc officium magis debitum, si vivos, quam si mortuos respiciamus. Nam nocemus vivis potius, quam defunctis, insepulta corpora esse dum patimur, quippe multa mala in civitatem inde redundare possunt, morbus pestifer, defunctorum horror, mortis trepidatio, cadaveris abjecti irrisio, contemptus, rapina, & similia.

## APPENDICIS.

### CAPUT I.

DE

## LICITO.

§. I.

**L**icitum alias opponitur prohibito, & ut prohibitum juris præceptivi, sic licitum juris concessivi fundamentum supeditat. Quidquid enim Deus prohibuit, jussu & non licitum censetur, agendique aut non agendi necessitatem, hoc est, obligationem imponit. Cætera, non prohibita, licere existimantur, atque ad jus concessivum reducuntur. Idque licitum doctoribus passim perfecte seu Ethice licitum appellatur.

2. Cer



§. 2. Certe reperitur licitum aliud, nempe imperfecte & politice licitum, quod cum lege quidem pugnat, sed tamen in foro humano non punitur. Habetque cum illo, perfecto licito aliquam cognationem (unde hoc loco pro parte appendicis tractatur) quoniam licet, verum non absolute, sed duntaxat in certo foro, non omni. His positis, videmus liquido

1. Fororum poli accurate discernendum esse a foro soli.

2. Quosdam in foro poli licere, cum in foro soli vetarentur, ut venari.

3. Quosdam in foro poli non licere, quae tamen in foro soli licere constat, ut inebriari.

4. Non omne, quod licet, honestum esse.

5. Permissionem aliam plenam reperiri, aliam minus plenam; illam jus dare agendi; hanc secus, quamvis in foro altero impunitatem concedat.

6. Hanc licentiam minime confundendam esse cum naturali libertate. Illa enim sibi aliquid sumit, quod ubique & omni ex parte non poterat sumere. Haec facultatem continet ejus, quod cuique facere licet, nisi vi aut jure prohibeatur.

7. Multi sibi nimium arrogant, & quod libet, licere arbitrantur. Unde

8. Modum excedunt, imo graviter ex ista persuasionem animi cadentes, rei evadunt temeritatis perniciosae.

9. Li-

9. Licetum politice toleratur inter homines in hac imbecillitate humani ingenii & virium tenuitate humanarum; At propter eam vindictam Numinis nequaquam effugit.

10. Vir sapiens & religiosus licitum nullum, nisi cum divina justitia coniunctum, sibi exercendum putat, parum ratus esse humanum evitare iudicium, nisi & divinum multo magis evitaverit.

11. Idem quoque, quae jure divino facere licebat, sed humano non item, cum magistratum vereri, eique obsequi oporteat, non vult usurpare jure divino permessa; si absque magistratus offensione, id fieri nequeat.

12. Prohibitio ejus, qui legitimam prohibendi facultatem habet, tollet ejus exercitium, quod alioquin erat licitum.

13. Plus infert jus prohibens vel praeci-piens, quam jus libertatem agendi permittens. Tunc enim hujus studium & usus obstat, si ab illo nulla obiciatur remora.

14. Vere Comicus Latinus: Deteriores omnes suntus licentia.

15. Ex licentia primum leviori visa, postmodum saepe magnum nefas oritur, ex hoc autem & ingens calamitas.

16. Quaedam hominum stupor habet licita, quae tamen, si intimius investigentur, inter-vetita esse deprehenduntur.

17. Non temere credendum, licitum esse

aliquid, nisi intimam ipsius naturam prius probe exploraveris.

18. Qui illicita quædam credit, sua ruditate deceptus, quæ tamen reapse licita sunt, is frustra eorum usu abstinet, neque procul distat a superstitione.

19. Minimum decet libere, cui multum licet.

20. Summa dictorum hæc fiet: Imperfecte licitum est jus permissorum, sed tantum in foro humano.

## CAPUT II.

DE

## ÆQVO.

§. I.

**C**um de jure hominis quaeritur, ultimo spectatur, quod homini salutare est & debitum. Hinc

1. In omni quaestione juris cavendum ne homini inter animantia creata dignissimo & excellentissimo præter meritum noceatur, per juris interpretationem, sed ut potius ejus utilitati consulatur, poena imponenda pro re mitigetur, sanguini ejus & corpori, salva justitia, parcatur, libertati denique, quantum præsens rerum conditio permittit, prospiciatur.

2. Et hæc origo æqui seu æquitatis est, quæ generatim leges generales recte ad casus emergentes applicat (quamquam id per se jurisprudentiæ est facere) speciatim ad casum emergentem, ob circumstantias peculiare,

ad

ad legem præsentem non quadrare ostendit.  
Unde

3. *Æquitas* quibusdam *Ictis* describitur juris scripti, per interpretationem aut emendationem ex vera ratione, ad factum accommodatio.

4. Item, juris legitimi correctio, juxta Aristotelem, deficientis scilicet in certo casu; vel mitigatio summi juris, probabili aliqua causa adducta, in eo casu, de quo lex principaliter non loquitur. Quamobrem

5. In jure civili sæpius æquum & bonum solent conjungi.

6. *Æquitatis* ultima ratio est: homo est, de quo agitur: ab humanitate talis rigor abhorret; in hominem talis interpretatio legis non convenit.

7. Si jus exigatur ad severitatem summam, fiet iniquum; sive summum jus summa sæpe injuria.

8. *Æquitatis* laxamentum præcipue adhibeatur in moderamine juris, & promiscue in cæteris hominem attingentibus. Ex eoque

9. Aureus canon: semper spectanda æquitas.

10. *Æquitate* postulante, a verbis legis & a solennibus receditur.

11. Et perniciose plerumque sub autoritate juris scientiæ in æquitate observanda erratur.

12. Salutari instituto eis constituta prædicatur æquitas, qui ejusdem sunt civitatis.

Cc

13. Du-

13. Duplex inde enata æquitas, naturalis, ex naturali ratione hominum mentibus instita; & civilis, ex legibus civitatis æstimanda.

14. Laudandus Claudius Imperator, qui non semper præscripta legum secutus, duritiam lenitatemque multarum ex bono & æquo, perinde ut afficeretur, moderatus est.

15. Seponatur igitur illa æquitatis significatio, qua idem notat, quod justitia, & officia jure stricto naturæ debita, e. g. depositum reddere, emtorem, re accepta, pretium solvere, venditorem, accepto pretio, rem tradere, mercedem pendere operario, complectitur.

I. Æquitas, de qua hic sermonem facimus, leges generales recte ad casus emergentes applicat. Hinc

1. Justa & accurata legis accommodatio hoc loco utramque paginam facit. Id quod vel ex sequentibus dispalescit.

Lex generalis: Res aliena ad me non pertinet. Jam si accidat, rem venditam adhuc residere penes venditorem, periculum rei venditæ, etiam ante ejus traditionem, pertinet ad emtorem, non venditorem, quia res vendita tanquam aliena existimatur, cujus casus æquum est non venditorem, sed emtorem velut dominum jure emtionis factum, sufferre. Unde b. f. possessor non recipit pretium, sed gratis rem alienam suo domino reddit.

Lex: Suis bene consultum velle in officio est.

est: Ergo liberis & parentibus aliisque, qui se exhibere non possunt, post mortem etiam potest & debet prospici.

Item: Subditi ferant onera civitatis sibi debita ob beneficium securitatis publicæ. Si ergo eveniat milites patriæ locari in ædibus civium hospitii causa, æquum suadet, istis hospitibus alimentum præbere.

Liberos omnes, quia sunt portiones substantiæ parentum, & soboles, & æque tractari idcirco omnes debent, sive ante dotalia instrumenta sint editi, sive postea, eadem lance trutinari vult Imperator.

II. Æquitas casum emergentem ad legem non quadrare ostendit. Hinc

I. Benignum illud jus, quod vocant, in molli juris usu occupatum, ut ex subsequen-  
tibus apparebit.

Lex furti jubet furem suspendi. Adolescens fame compulsus surripuit panem. Hic juvenis liberatur poena ordinaria suspendii, propter ætatem juvenilem, & quia non malitiose peccavit, sed adactus duro necessitatis telo. His adde, quod vitam hominis inter & panem nulla sit proportio, quodque panis ad saturandum hominem ablatum facile possit restitui.

Commodatarius pignus sibi creditum restituere tenetur. At casu intercidit pignus, citra culpam commodatarii. Igitur prælucente æquitate, res perit suo domino, & quia rem alienam possidens, casum præstare per

se haud erat obligatus; inde a præstatione interitus casu evenientis non inique liberatur.

Pensio ex contractu promissa præstari debet. Ob damnum vero insigne ex defectu fructuum sperandorum forte enatum, æquum est pensionem dictam remitti. Quippe iniquum videbatur, lucrum exhibere fructus, quem non perceperis, etiamsi lex contractus pensionem promissam efflagitaret.

Nemo locupletari debet ex damno alterius, Enimvero id limitatur in alluvionibus, quæ sane æquitati naturali non repugnant.

In transgressorem legis statuere oportet pœnam. Sed hæc lex minus congrue ad talem transfertur transgressorem, cujus sensum, etiam lege diligenter expensa, capere ipsemet non posset, quem ita inscium pœna coercere velle iniquissimum foret.

Sic victus est in potestate victoris. Sed æquitas jubet, jure victoriæ moderate uti.

Sic legum civilium notitiam a civibus suis deponunt legislatores. Ea autem nimio rigide deponeretur ab iis, qui parum sunt ab intelligendi facultate instructi, ut milites, rustici, scæminæ, pro quibus ipsa æquitas profecto intercedit.

Sic legem humanam sibi præscriptam quisque observet. At æquitas permittit talem legem non observare, si legem nat. violet; item, si nimis grave videtur vel omni-

mnibus vel certis quibusdam, quod lege injungitur.

CAPUT III.

DE

HONESTO.

§. I.

**V**ocatur nobis honestum ipsa virtus, qua homo se ipsum perficit, & sua in alium transfert. (de qua re jam supra quaedam maxime circa culturam sui & benevolentiam hominis naturalem)

I. Virtute homo se ipsum perficit. Hinc Ex sapientum veterum dictis, ei ita dicta sunt, ut non tam verba teneat, quam verborum vim ipsa vita exprimat. Huc igitur quadrant sequentia :

1. Odisse malitiam.
2. In res præclaras animum intendere.
3. Non esse loquacem.
4. Potius audiendi alios, quam loquendi studiosum esse.
5. A suspicionibus temperare sibi.
6. Multa discere cupere.
7. Linguam habere bene ominata loquentem.
8. Liberaliter corpus & animam exercere.
9. Fortunæ necessitudines generose perferre, hoc est, felicem non inolescere ; infelicem non despondere animum.
10. Voluptatem coercere.
11. Modum tenere verum.

Cc 3

12. Agen.



12. Agenda ante egressum e domo, - acta post regressum secum expendere.

13. Virtutem extolere verbis & factis.

14. Res studio dignas & utiles curare.

15. Probitatem plus facere ad faciendam fidem, quam jusjurandum.

16. Mente moderari ac regi.

17. Silere, & silentium temporis opportunitate consignare.

18. Ferociam fugere ex facietate atque divitiis orituram.

19. Se non efferre.

20. Mortalia non ægre ferre.

21. Non appetere quod fieri nequit.

22. Sapientiam ad usum traducere.

23. Suam indolem explorare.

24. Peritos bonam spem concipere.

25. Arcana continere.

26. Otium bene collocare.

27. Fugere turpia.

28. Inter pocula non multum loqui.

29. In convivio linguam continere.

30. Mentem haud a lingua præcurri.

31. Res hominum perpendere, ut minus discrucieris ob tua ipsius.

32. Iracundiam vincere.

33. Temperantiam exercere.

34. Damnum turpi lucro anteferre.

35. Temporis parcum esse.

36. Ex solitudine atque otio sibi commodum parare.

37. Fortem, sed una mansuetum se ferre.

38. Non

38. Non prædicere, quid facturus sis.
39. Placide ferre, quod res quandoque exigas non consequaris.
40. Discenda, quæ sunt optima.
41. In rebus obeundis fidem, peritiam, dexteritatem, benevolentiam diligentiamque adhibere.
42. Bene consulere, quod adest.
43. Nihil illaudati sustinere.
44. Non esse ignavum.
45. Amare modestiam.
46. A nequitia abstinere.
47. Non facere, quæ in proximo reprobenderis.
48. Opportunitatem aspicere.
49. Constantem sui que similem manere.
50. Prius consulere, deinde facere.
51. In adolescentia sapientiam, tanquam viaticum ad senectutem, sibi parare.
52. Providentiam amare.
53. Lente incipere, quod acturus sis; constanter exequi, cum cœperis.
54. Operi suo adhibere memoriam, temporis cautionem, moribus ingenuitatem, labori moderationem, timori pietatem, opibus amicitiam, sermoni eloquentiam, silentio urbanitatem, consilio æquitatem, audaciæ fortitudinem, rebus obeundis auctoritatem, majestati imperium.
55. Talem esse Dominum in domo propter se ipsum, qualis foris est propter legem.
56. Sapientum familiaritate uti.

57. Semet suis progenitoribus haud indignum gerere.

58. Facere id, cujus nunquam poeniteat.

59. Non quamvis ob rem animo angere.

60. Sperare tanquam moriturum, parceret tanquam non moriturum.

II. Virtute homo sua in alium transfert.

Huc igitur illa sapientum rursus :

1. Parentes vincere patientia.

2. Rem proximi amare, eamque ut propriam custodire.

3. Inimicitias deponere.

4. Vulgo irrisos non pro delectamento habere.

5. De bonis bene mereri.

6. Amicum beneficiis demereri.

7. In amicorum offensiones, in inimicorum insidias non incidere.

8. Beneficii accepti memorem esse.

9. Patrem familias plus diligere, quam metui.

10. Uxorem sibi genere & opibus ducere parem.

11. Apud extraneos nec blandiri uxori, nec eam objurgare.

12. In servum, cum adhuc est ebrius, non animadvertere.

13. Amicos non statim admittere, admissos non reprobare.

14. Familiam optimam videri, in qua Domini opes nulla injustitia possideant; bona fide conservent, & sine querela dispensent.

15. Nominari invidere.

16. Non

16. Non male precari mortuis.
17. Familiaribus lenem esse & placidum.
18. Senectutem honorare.
19. Majores natu revereri.
20. Nemini minari, multo minus homini ingenuo.
21. Non maledicere vicino.
22. Mortuum prædicare beatum.
23. Ad amicum infelicem prius, quam ad felicem se convertere.
24. Ad amicorum convivia tardius accedere.
25. Infelicem non irridere.
26. Nemini molestum esse.
27. Multis iisque bonis placere.
28. Bene præesse familiæ.
29. Nuptias frugales cæterisque sui ordinis pares celebrare.
30. Cum parentibus, etiam juxta prælocutum, non contendere.
31. Docenda, quæ sunt optima.
32. Non quibusvis credere.
33. Ne inimico quidem male loqui.
34. Veniam ultione meliorem existimare.
35. Sustinere detrimentum parvum a vicino acceptum.
36. Non accipere pecuniam in re parum honesta.
37. Nemini exprobrare paupertatem.
38. Inter amicos non fieri arbitrum.
39. Infelici non exprobrare.
40. Observantiam captare.

41. Concordiam diligere.

42. Non in gratiam loqui.

Ex dictis patet, virtutem a jure in eo differre, quod jus inferat & urgeat reparandi necessitatem; virtus non item; quod jus respiciat superiorem tanquam autorem, absque cujus respectu ne concipitur quidem; at virtus talem respectum non postulat: quod jus cuique suum tribuat; virtus, ut probatum tot exemplis dedimus, aut quod nostrum est, tribuit aliis, aut in nobis perficit: quod jus, etiamsi justitiam plenissime excolimus, nullum inferat meritum; virtus tamen sano sensu & in foro humano meretur. Quæ discrimina vel ideo notanda veniunt maxime, ne confusio jurium, ac virtutum, Jurisprudentiæ Ethicæ atque Politicæ inducatur.

## CAPUT IV.

DE

## DECORO.

§. I.

**D**Ecorum est officium externam vivendi rationem cum dignitate hominis conformans. Hinc

I. Quoniam dignitas hominis alia naturalis, alia civilis: apparet geminum reperiri inter homines decorum, quorum alterum naturale dici potest, cum personam ac dignitatem naturæ humanæ respiciat eique imitetur; alte-

alterum vocetur civile, inter cives usitatum, vel etiam Politicum. Et hoc iterum aut refertur ad consuetudines ac leges in moribus & ritibus, aut ad ceremonias aularum. Unde consequitur

2. Tria omnino inveniri decori genera, naturale, quod in hominem, ut talem, civile, quod in hominem, ut civem, aulicum, quod in hominem in aula conspicuum cadit. Proinde

3. Videndum est in hoc genere, quid hominem deceat a natura, quid eum commendet in civitate, quid eundem ornet in aulis Principum.

1. Observetur decorum naturale, quod a natura ipsa discitur, dum cogitamus, quid consentaneum sit hominis excellentiæ in eo, in quo natura ejus a reliquis animantibus differat, ut loquitur Cicero. Hinc

1. Quoddam decorum naturam ipsam verecundam, ducem optimam, imitatur. Igitur

2. Quod naturæ verecundiam præterit vel negligit, decorum non est. Unde

3. Membra nudare coram hominibus, quæ natura occultavit, & ea suis nominibus appellare, petulantia & obscœnitate non vacat.

4. Cum uxore coire palam, decorum sine dubio violat. Etenim etsi per se, neque in membris humanis, neque in generatione in se insit turpitudine, tamen pudor naturalis eoducit hominem, ut erubescat in conspectu aliorum, quod facere salva honestate poterat, remotis arbitris. Et si calido sub cœlo  
quæ.

quædam gentes dicantur nudato corpore inter se agere & ita absque rubore vivere consueverint; id tamen multo aliter fit in gentibus temperatarum aut frigidarum.

5. Excrementa corporis promiscue & in propatulo deponere, indecorum.

6. Oculos, labia vultumque distorquere more vesanorum, decori violationem prodit.

7. Ridere gestibus petulantibus & extra modum cachinnos edere, decoro repugnat.

8. Voluptati ac libidini indulgere nimium & more beluino, alienum longe a moderatione decori existimatur. Quo enim nostra natura excellentior existit præ beluina; tanto major ratio & moderatio cum aliarum rerum, tum & voluptatum, adhibenda est.

9. In publicum incedere motu corporis scenico, aut pedes motitare saltantium in morem, vel etiam gressus galatorios, aut testudineos, ut veteres in pomparum ferealis, formare, risu non caret.

10. Diogenem in dolio imitari dignationi hominis alienum & bestiis proprium. Nam quod Diogenem decuit, quodque ei vel laudem & admirationem peperit, propterea quod ridendo conatu vitam moneret sapienter, id de aliis perinde dicere non possumus.

11. Qui sobrie res suas tractant, necessitati dant operam, ut quam occultissime pareant.

12. Quod abhorret ab oculorum auriumque comprobatione, decori studiosus fugiat.

13. Quin status, incessus, sessio, accubatio,

tio, vultus, oculi, Cicerone autore, manuum motus, teneant illud decorum, quod ostendit, quantum natura hominis pecudibus, reliquisque bestiis antecedit.

14. Decori violator fuit Caligula, qui nec virili quidem, & nec humano usus est vestitu.

15. Cibum non ore aperto, ut decet, comedere, sed hiantes, sed quasi rictu expanso devorare, abhorret a modestia humana.

16. Cetera eodem pertinentia ex illis libellis petantur, qui de morum civilitate scripserunt, quorum non ultimus Erasmus.

17. Jocus perpetuus & immodicus hominem dedecet & dedecorat. Non enim, teste Tullio, ad ludum & jocum facti sumus.

18. Virum commendat gravitas comitate condita.

29. At foeminam nobilem ornat matronalis dignitas, nec non matronalis habitus; omnem vero pudicitia & castitas oculis, vultu, oratione prodiens, condecorat.

20. Habent & ætatum genera suum modum inter homines, & decora propria.

II. Observetur decorum civile, quod consuetudinem vel leges, morum externorum gratia in civitate latas, imitatur. Hinc

1. Quoddam, quod consuetudinem aut leges civiles non imitatur, non est decorum civile.

2. Contra ea, quod imitatur, est decorum. Unde indecorus sane Caligula.

Quan-



Quando vestitu calceatuque & cætero habitu, neque patrio, neque civili, usus est.

Quando depictas gemmatasque indutus poenulas, manuleatus & armillatus in publicum processit, aliquando sericatus & cycladatus, ac modo in crepidis vel cothurnis, modo in speculatoria caliga, nonnunquam sacco muliebri, plerumque aurea barba fulmen tenens, ac fuscinam aut caduceum, Deorum insignia, atque etiam Veneris cultu conspectus est.

Quando ne publicis quidem spectaculis temperabat, quo minus & tragoedo pronuntianti concineret & gestum histrionis quasi laudans vel corrigens palam effingeret.

Quando repente & magno tiliarum & scabellarum sonitu, cum palla tunicaque talari profuit & desaltato cantico abiit.

3. In eundem lapidem impegit Pausanias apud Thucididem & Probum, cum ipse Lacedæmonicus non mores patrios solum, sed etiam cultum vestitumque mutaret, apparatu regio uteretur, veste Medica, satellitesque Medi & Ægyptii sequerentur, præterea more Persarum luxuriosius epularetur, quam, qui aderant, perpeti possent.

Evolvi poterunt in hoc argumento, qui de civili conversatione explicarunt, & in iis potissimum Guazzius.

III. Observetur decorum Aulicum, quod aulæ ceremoniis respondere debet. Hinc

I. Quod

1. Quod decorum aulae ceremoniis minus respondet, non est, nec dici potest aulicum. Unde

2. Non modo Aulici ipsi coram Principe se mori Aulae suae accommodent, sed & exteri fore in eandem formam traduci solent, saepe debent, sapiunt tamen vehementer, qui peregrinis se ritibus aptant, moribusque peregrinis adversari omnino nolint.

3. Sic nemo quondam sine eo, qui secundum gradum imperii tenebat, ad Regem Persarum admittebatur.

4. Et Regem Persarum venerari necesse erat; Quod eum nollet facere Conon, veritus, ne suae civitati id esset opprobrium, quae voluerat, Tithrauti scripta tradidit.

5. Legi in hanc rem debent morum aulicorum & ceremoniarum inter gentes usitatarum auctores, & circa Europaeos praecipue quae usus invenit tanquam pro lege, celeberrimarum rerum collector Lünigius.

Ex dictis ultro consequitur.

6. Decorum naturale omni homini debere esse quam commendatissimum.

7. Decorum civile eiusque moderationem qua publicis moribus, ut Curtius loquitur, degant cives, quia in oculos incurrit aliorum, & maxime se approbat praesentibus, non postremum profecto locum sortiri in disciplina morum.

8. Decorum aulicum imprimis esse inter actiones ad cultum civilem pertinentes, oppido


pidio delicatas & maxime subtiles, tanquam novam Politicam in ipsa Politica.

9. Quo magis dandam ubique operam, ne quid a decoro abhorrens admittatur, ne cujuscumque sensui molesta aut ingrata committamus, denique, ne quenquam quacunque ratione in congressibus offendamus.

10. Ideoque juvabit & se penitus nosse, suaeque exacte contemplari, quatenus ad externam formam aliquid afferunt vitæ humanæ, mores patrias studio acri attendere, iisque se attemperare, & nunquam prodire in aula, nisi probe cognita facie ipsius, & ut ita dicam, genio, & quicquid præterea observatum dignum videatur.



INDEX



# INDEX.

## A.

<b>A</b> ctionis moralis species	32. 33. 34
<b>A</b> ctionis moralis affectiones	41. 42
<b>A</b> doptiones	229
<b>E</b> qualitas hominum in statu nat.	79. 80
<b>E</b> qualitatis hujus causæ	80
<b>E</b> qualitatis ejusdem officia	80. 81
<b>E</b> qualitatis ejusdem usus	82. 83. 84. 85
<b>E</b> quitas quid?	401
<b>E</b> quum quid?	4. 400
<b>A</b> ffectus hominis rationis capaces	16
<b>A</b> lez contractus	211
<b>A</b> mor sui in homine	14
<b>A</b> mor erga alios	14
<b>A</b> nima immortalis in homine	16
<b>A</b> ntichresis	209
<b>A</b> rmandiæ jus	285. 376
<b>A</b> ffecuratio	212
<b>A</b> theismi destructio	64
D d	Athe-

# INDEX.

Atheismus reipublicæ noxius	75
Auferre alienum quando liceat	152

## B.

Bellum quid? 351. illicitum 360. mixtum	361
Belli jus quando Principibus competat 350. sqq.	
habet sola Majestas summa	359
in bello injusto non obtinet	353
Arma veneno illita, quando in bello utenda	370
à muere militari qui excipiantur	371
quæ res à violentia hostili excipiantur	372
in eo tempus induciarum sancte observandum	373
Benevolentia hominis naturalis quid?	138
Ej. effectus	138. 139. 140
Ej. officia	140. 142. 143. 144
Bonorum divisio	32

## C.

Civitas	262
Civium subjectio & officium	296. sqq.
eorundem libertas renascens	304
Collegia quid? 308. eorum jus 287. con-	
stituuntur tum in statu naturali tum ci-	
vili	308
eor. differentia & varietas	309
	horum

# INDEX.

horum membra etiam imperantes	309
eor. divisio 310. utilitas	316
Collegarum vota & officia	311. sqq.
Commodatum	210. 211
Concubinatus	216
Conjgium liberorum	222. 223
Conscientia in homine	12
Conscientia hominis justi	25
Conscientiæ divisiones	26
Ej. regulæ	28. 29. 30
Conservatio sui est necessaria	95
Ej. amplitudo & effectus	96. 97. 98. 99
	100. 101. 102. 103
Contractus quid?	199
Ej. Species	199
Ej. fundamentum, consensus	200. & ef-
fectus	200. sqq.
Ej. Confirmatio	201
Ej. Amplitudo	203. 204. 205
Corpus animæ domicilium	8
Cultura sui necessaria	109
Ej. amplitudo	110
Culturæ modi & partes	112. 113. 114. 115. 116
	117. 118. 119. 120. 121. 122
Cultus DEi cum notitia ejus conjungi debet	69
Idem internus & externus	69
Idem publicus & privatus	70
Cultus divini sinceritas	70
Cultus interni officia	71. 72. 73

# INDEX.

Cultus externi officia	71. 72. 73
Cultus divini gentiliura remuneratio	73

## D.

Decorum, quid? 410. naturale 411. civile 413	
atlicum	414
Dominium est a natura	125
Ej. amplitudo	125, 126. 127. 128. 129
Ej. modus acquirendi derivativus	129.
	130. 131
Ej. translatio	134
Ej. Facultas	134. 135
Donatio rei alienae	147. 148
Depositum	209

## E.

Emtio venditio	204. 205
Emtio spei	211
Emtio rei speratae	211, 212
Existimatio hominis nat. quid?	90
Ej. Fundamentum	90
Ej. Officia	91. 92
Ej. Effectus	93
Ej. amplitudo	93
Ej. amissio	93. 94

## F.

Familia quid?	243
Ej. finis, utilitas privata	244
Ej. caput & moderator pater familias	244
	Ej.

# INDEX.

Ej. cura	245. 246.
Ej. utilitas publica	247
Fœdera quid	342
differunt à pactis	342
it. à sponſionibus.	ibid.
quis ea contrahere poſſit	342. 343
quando ad infideles extendi poſſit	344
hinc vel æqualia vel inæqualia	344. 345
eorum utilitas	347

## G.

Gentes reſpectu ſui, & aliarum gentium conſideratz	6
Gentium officia vid. officium.	

## H.

Homo citatur in juris negotio	45. 46. 47. 48
Idem in vario ſtatu conſideratus	53. 54
	349. 350
Honeſtum a jure diſſert	4
ejus officia	405. ſqq.
Honor alteri præſtandus	94

## I.

Induciaz belli tempore ſancte obſervandæ	373
Ingenium hominis fecundum	16
Ignorantiæ ſpecies	33
1 3	Impe-



# INDEX.

Imperii causa	248
Ej. origo	250. 251. 253. 254. 255
Ej. officium	252. 285. fqq. 290. fqq.
Ej. acquisitio	255. 256
Ej. jura	285. fqq.
Imputationum moralium regulæ	34. 35. 36
	37
Imputationes simul aliis factæ	38
Imputationis species	39
Intellectus hominis naturalis	9
Ej. facultas	30
Interpretatio juridica	173
Ej. amplitudo	173
Ej. species	173. 174
Ej. modus	174. 175. 176. 177
Quis possit interpretari	177
Judicium practicum in homine	11
Judicia Reipublicæ necessaria	272
Juris laxa significatio	1
Ej. divisio	1. 2
Jus præceptivum & concessivum	2
Juris obligatio	2
Ej. libertas	3
Jus nat. in homine	11
Jus concessivum hominib.	17
Jus etiam extra societatem	56
Jus nat. etiam ad infantes & nondum natos	56. 57.
pertinet	56. 57.
Jusjurandum quid?	162. 163.
Ej.	Ej.

## INDEX.

<b>Ej. sanctimonia &amp; cautio</b>	163. 164 165 166. 167
<b>Per quem juretur licite</b>	165
<b>Jurisjurandi modus &amp; fundamentum</b>	166
<b>Ej. effectus</b>	168. 169 170. 171
<b>Officium &amp; potestas magistratus circa jus- jurandum</b>	169
<b>Jurisjurandi limitatio</b>	171. 172
<b>Justitia personæ &amp; actionis</b>	43
<b>Justitia distributiva &amp; commutativa</b>	43

### L.

<b>Laudis appetitus in homine</b>	15
<b>Laus hominis</b>	19
<b>Legatus, quis?</b>	328
<b>Ejusd. necessitas</b>	328
<b>dignitas</b>	328. 334
<b>virtutes</b>	335
<b>autoritas</b>	337
<b>in eum non valet inquisitio</b>	336
<b>est inviolabilis</b>	339
<b>quamdiu inviolabilitas valeat</b>	340
<b>cui jus mittendi legatos competat</b>	330
<b>in casu necessitatis etiam fœminæ legatio- nem subeunt</b>	329
<b>eorundem differentia</b>	332
<b>Lex actionum moralium norma</b>	49
<b>legum ferendarum jus</b>	268
<b>Libertas hominis naturalis</b>	17. 86
<b>D d 4</b>	Hæc

## INDEX.

Hæc omni homini communis	87
Ej. utilitas & effectus	87. 88. 89
Libertas gentium	88
Libertas gentium circa matrimonia	95
Libertas naturalis est origo repressaliarum	89
Eadem expetenda	89
Ej. præsumtio	89
Ej. abdicatio	89. 90
Liberorum officia in parentes	235
Licium in foro poli & foro soli quomodo differat	398
Locatio conductio	206
Lotaria	213. 214

### M.

Majestas summa quid?	262
est una	263
ejus amplitudo	263. 264. 199.
quando violabilis	267
Malitia hominis	23
Mandatum	209. 210
Manus usus	7
Memoria hominis	12
Metus religiosus hominis	13
Miseria hominis	20. 21
Moderamen inculpatæ tutelæ	104. 105. 106
	107
Montes pietatis	208
Moralis actio ad jus relata	25
	N.

# INDEX.

## N.

Naturæ significatio	4
Natura & cultura hominis	24
Natura hominis pertinet ad jus nat.	44
Naturæ humanæ excellentia	45
Necessitatis casus quantum vim habeat circa vitam hominis	100. 108

## O.

Obligatio hominis adversus DEum	64
Obsides	391
Officia gentium absoluta	320
relativa	323
Olla fortunæ	215

## P.

Pacis jus	384
ejusd. finis & effectus	388
quando Rex captivus retineat	385
jus pacis faciendæ non competit Ducibus belli	386
Pacta quia?	188
Horum fundamentum consensus	188. 189
Eorundem expiratio	190. 191
Eorundem materia	191. 192
Eorundem discrimen a promissis	193
Pecuniæ inventio & effectus	198
Pœnas infligendi jus	275
a 5	Post-

# INDEX.

Postliminii jus	356
Præcepta affirmativa & negativa	40. 41
Pretium rerum quid	194
Pretium vulgare & eminentissimum	194. 195
Ej. fundamentum	195
Ej. valor	196
Magistratus officium circa rerum pretia	198
Principum potestas	249
eorundem officia	252. seq.
eorundem jura	285. seq.
Principis clementia in cives suos	94
Eid. nullum jus in alterum Principem	95
Promissa quid?	177
Horum origo	178
Quis promittere non possit	178. 179
Cautiones circa promissa	179
Promittentium consensus tacitus & expressus	180
Promissorum effectus	180. 181. 182. 186.
	187. 188
Eorundem casus	182. 183. 184
Eorundem interpretatio	183
Promittentis facultas	185
Promissionis natura & discrimen ab assertionem	187
Proportio in moralibus	43
Pudor hominis naturalis	15
<b>R.</b>	
Ratio hominis	9. 10
	Reli-

# INDEX.

Religiosum in Deum	I
Religionis naturalis cognitio unde	62. 63
Ej. a Theologia revelata discrimen	68
Ej. ad salutem æternam obtinendam insufficientia	68
Ej. occasio ad investigandum verum DEum	68
Ej. utilitas	73. 74. 78
Ej. necessitas in rebus publicis	75
Ad religionem naturalem manuctio	76
Religionem curent Principes	76
Eandem tollere Principes non possunt	76
Religio gentilium in curanda religione	76
	77
Religio status solitarii	77
Reparatio damni dati necessaria	150. 151
Ej. amplitudo & effectus	151. 153. 154. 155
Restitutio alieni necessaria	144. 149
Ej. Effectus	145. 148
Ej. modus	146. 147
S.	
Sepultura quid?	394
Objectum ejusd.	394
finis ejusd.	396
jus Sepulturæ:	ibid.
Sermo, DEi donum	156
Ej. veritas, & opposita veritati	157. 158
Ej. virtutes	158. 159. 160
Ej. necessitas	159. 160. 161
	Ej.

# INDEX.

Ej. utilitas	161
Ej. prudentia	152
<b>Servitus personalis a natura non est</b>	86
Servitutis nat. origo	131
Servitutis causæ	236
Servorum libertas naturalis	237
Eorundem jus nat.	237
Servus potest vendi	238
Servorum abusus	238
Servitutis fundamentum est pactum	238
Officium domini erga servum	239. 240
Servi officium erga dominum	241. 242
Societatis appetitus	13
Societas conjugalis quid	215
Ej. materia	216. 217. 219. 224
Ej. fundamentum consensus	218
Ej. dissolutio	218
Ej. pars potior pars	219
Ej. oppositum	220. 221
Ej. potestas & effectus	221
Ej. finis, procreatio sobolis	223. 224. 225
Ej. Officia	226
Societas paterna quid	226
Ej. jus in liberos	227. 228
Ej. Officia, & jus etiam ad avos pertinens	229. 230. 231. 233. 234
Ej. potestas	232. 233
Societas herilis quid	235
Ej. effectus	236
Sortitio	213
	Spon-

# INDEX.


Sponsiones	212
Statura hominis	7
Status hominis naturalis & adventitius	55
Statuum hominis comparatio	60. 61
Status solitarii officia	77. 78. 79
Stomachus hominis	8
Successio in bona parentum	135
Successionis ordo	135. 136. 137

## T.

Testamenta non sunt juris nat.	135
Testandi facultas & effectus	136

## V.

Jus venandi	137. 138
Victoriz jus	380
Vinculum hominis duplex, familiaris & civitatis	61
Vitæ humanæ prærogativa	18
Voluntatis facultates	30. 31
Voluntas Dei juris nat. fundamentum primum	43. 44
Usura	207. 208
Vultus, imago animi	7





The first part of the report  
 deals with the general  
 conditions of the country  
 and the progress of the  
 work during the year.  
 It is followed by a  
 detailed account of the  
 various projects and  
 the results obtained.  
 The report concludes  
 with a summary of the  
 work done and the  
 recommendations for the  
 future.

The second part of the report  
 deals with the financial  
 statement of the year.  
 It shows the income and  
 expenditure of the  
 organization and the  
 balance sheet at the  
 end of the year.

The third part of the report  
 deals with the personnel  
 of the organization.  
 It gives a list of the  
 members and the staff  
 and describes their  
 duties and the work  
 they have done.

The fourth part of the report  
 deals with the future  
 plans of the organization.  
 It discusses the  
 various projects that  
 are being planned for  
 the next year and the  
 resources that will be  
 required for their  
 execution.

The first part of the document  
 discusses the general principles  
 of the proposed system.  
 It is intended to be a  
 general outline of the  
 subject.

The second part of the document  
 deals with the details of the  
 proposed system.

The third part of the document  
 contains the conclusions of the  
 author.

The fourth part of the document  
 contains the references.

The fifth part of the document  
 contains the index.

The sixth part of the document  
 contains the appendix.

The seventh part of the document  
 contains the bibliography.

The first part of the document  
 discusses the general principles  
 of the system and the  
 various methods of  
 application. It is  
 intended to be a  
 practical guide for  
 the use of the  
 system in the  
 various branches of  
 the service.

The second part of the document  
 contains the detailed  
 instructions for the  
 various methods of  
 application. It is  
 intended to be a  
 practical guide for  
 the use of the  
 system in the  
 various branches of  
 the service.

The third part of the document  
 contains the detailed  
 instructions for the  
 various methods of  
 application. It is  
 intended to be a  
 practical guide for  
 the use of the  
 system in the  
 various branches of  
 the service.